ſenſus in delectationem, ſeu voluntaria delectatio de ſola cogitatione non eſt ſecundum ſe peccatum mortale; etiamſi cogitatio ſit de re mortaliter mala: ſed aliquando eſt peccatum veniale, aliquando vero nullum. Prior pars probatur. Delectatio de ſola cognitione habet ſolam cogitationem pro objecto, & fine; *In quantum ſcilicet vis appetitiva, cujus eſt delectari, reflectitur in ipſam operationem, ſicut in quoddam bonum; puta cum aliquis cogitat, & delectatur de hoc ipſo, quod cogitat, in quantum ſua cogitatio placet* . . . Tunc enim *delectatio de cogitatione ipſa ſequitur inclinationem affectus in cogitationem ipſam*: ſed cogitatio ipſa ſecundum ſe non eſt peccatum mortale, cum ſcientia malorum ſit etiam in Deo; ergo &c.

XV. Secunda pars prob. Aliquando enim aliquis in hujuſmodi cogitatione inutiliter ſiſtit: ſed ſine cauſa in cogitationem rerum inutilium ſe occupare, eſt peccatum veniale curioſitatis; ergo &c. Intellige tamen, ſi perſeverantia in tali cogitatione ſine cauſa, non afferat periculum conſentiendi, vel delectandi de re mala cogitata; alias enim peccaret mortaliter: niſi forte periculum eſſet adeo parvum, ut a mortali excuſaret.

XVI. Tertia vero pars ſuadetur. Quia dum id, quod non eſt per ſe malum, aſſumitur in aliquem bonum finem, ipſum eſt bonum laudabile, modo nulla circumſtantia prava vitietur; ergo ſi cogitatio de rebus illicitis aſſumatur in bonum finem, ſicut ſi quis vult de eis prædicare, vel diſputare, per conſequens delectatio illam comitans erit bona, modo nulla addatur prava circumſtantia. Hinc Theologi, Confeſſarii, Prædicatores poſſunt in ſtudio rerum venerearum occupari, de iis cogitare, & in tali ſtudio ſibi complacere, ad inſtruendum, & docendum, vel, dum ab aliis conſuluntur, reſpondendum. Quo pacto quidam oblectantur lectione, aut narratione malorum præteritorum: non ſibi complacendo in iſtis malis, ſed in eorum tantum cognitione: alias non licite quis oblectaretur lectione S. Scripturæ, in qua varia hominum flagitia recenſentur.

XVII. Reſpondeo ſecundo. Conſenſus in delectationem, ſeu voluntaria delectatio de re cogitata, eſt mortale peccatum, ſi res illa, quæ cogitatur, ſit mortaliter mala; etiamſi nulla adſit voluntas operis perficiendi: ac proinde is, qui de fornicatione, quam animo volvit, voluntarie delectatur, nolens quidem eam committere, ſed tamen in ea cogitata ſibi complacens, peccat mortaliter. Ita D. Thom. hic *art.* 8.

Probatur. Qui volvens in animo rem illicitam, puta fornicationem, advertente, & conſentiente ratione, de ea delectatur, convincitur eam amare; etſi proponat, eam opere non exequi: *Quod* enim (inquit S. Doct.) *aliquis cogitans de fornicatione delectatur de ipſo actu cogitato; hoc contingit ex hoc, quod affectio ejus eſt inclinata in hunc actum . . . . Nullus enim delectatur, niſi in eo, quod eſt conforme appetitui ejus*: idest, nullus delectatur, niſi de eo, quod amat, & cui tamquam bono delectabili afficitur. Atqui quod *aliquis ex deliberatione eligat, quod affectus ſuus conformetur his, quæ ſecundum ſe ſunt peccata mortalia, eſt peccatum mortale*; ergo &c.

XVIII. Confirmatur ex iis, quæ docet Qu. 15. de Verit. art. 4. *Delectatio, quæ ſequitur cogitationem ex parte rei cogitatæ, in idem genus coincidit cum delectatione exterioris actus*: ſic ad juſtitiam pertinet operari juſta, & delectari de juſtis operationibus; ergo eadem inordinatione, qua eſt inordinata delectatio exterior, erit inordinata delectatio interior de eadem re. Si ergo *Delectatio exterior eſt delectatio peccati mortalis, & tunc etiam interior delectatio in ſe, & abſolute conſiderata, de genere peccati mortalis erit*. Quandocumque enim *Ratio ſe ſubjicit peccato mortali, per approbationem, tunc eſt peccatum mortale . . . Tunc autem ſe ſubjicit huic delectationi perverſæ, quando in eam conſentit*. Idem docet *Q.* 15. *de Malo art.* 2. *ad* 16. in 2. *diſt.* 24. *q.* 3. *art.* 4.

XIX. Sed dices primo Jacobi 1. *v.* 15. dicitur: *Peccatum, cum conſummatum fuerit, generat mortem*: ſed non conſummatur peccatum, niſi ipſo opere, vel ſaltem voluntate illud committendi, ergo delectatio voluntaria de actu non eſt peccatum mortale, quandiu abeſt voluntas illud perpetrandi.

XX. Reſpondetur, neg. min. Neque enim D. Jacobus dicit: *Peccatum, cum conſummatum fuerit* opere, *generat mortem*; ſed *cum conſummatum fuerit*. Conſummatur autem non ſolum opere, ſed etiam animo, delectatione, & complacentia in illo cum advertentia, & deliberatione. Chriſtus Matth. 5. v. 28. *Omnis* (inquit) *qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*. Tres ergo ſunt motus concupiſcentiæ. Primus. Omnino involuntarius, quem fomes, ſeu concupiſcentia in nobis excitat, abſque noſtræ voluntatis conſenſu: & hic nullatenus peccatum eſt. Secundus. Cum aliquem conſenſum extorquet, ſed imperfectum . . . & hic eſt peccatum veniale. Tertius. Quando pleno conſenſu de re mortaliter mala delectatur: & hic eſt peccatum mortale, tamquam primus peccati mortalis partus. Quia, ut dicebamus cum D. Th. *Q.* 15. *de Verit. art.* 4. nunc primo ſe ſubjicit delectationi perverſæ, ex quo omnes aliæ inordinationes conſequuntur.

XXI. Dices ſecundo. Conſenſus in delectatione de re illicita, præciſus a voluntate exequendi eam, eſt venialis, cum præcepta dentur ſolum de opere, & voluntate ea exequendi; ergo &c.

XXII. Reſpondeo cum D. Th. citata *Qu.* 15. *de Verit. art.* 4. *ad* 9. neg. min. Nam *Conſenſus in delectationem prohibetur præcepto illo*: Non concupiſces. *Non enim ſine cauſa de actu interiori, & exteriori concupiſcentiæ diverſa præcepta dantur in lege*. Addit præterea: *Nihilominus tamen ſi in nullo præcepto ſpeciali prohiberetur; ex hoc ipſo, quod fornicatio prohibetur, prohibentur omnia conſequentia, quæ ad idem genus pertinent*. Quia, ut ait ibi ad 12. *Converſio, qua quis poſt deliberationem ad aliquid de genere mali convertitur, ſufficit ad rationem peccati mortalis; quamvis poſt hanc completionem aliqua alia completio addi poſſit*. Videatur etiam in 2. *diſt.* 22. *quæſt.* 3. *a.* 4. *ad* 4.

XXIII. Dices tertio. Deus pronior eſt ad præmiandum, quam ad puniendum: ſed ſi aliquis in meditatione divinorum præceptorum delectaretur, & in talem delectationem conſentiret, nec tamen haberet voluntatem ea opere implendi, non mereretur præmium; ergo nec ille meretur pœnam, qui in delectationem peccati conſentit, ſi non proponat, illud committere.

VVIV. Reſpondeo cum D. Thoma Quæſt. 15. de Verit. art. 4. ad 13. *Quod ſicut dicit Dionyſ. cap. 4. de Divin. Nomin. Bonum cauſatur ex una tota, & perfecta cauſa, ſed malum ex ſingularibus defectibus: & ita plura requiruntur ad hoc, quod aliquid ſit bonum meritorium, quam ad hoc, quod ſit malum demeritorium; quamvis* (Deus) *ſit pronior ad muncrandum bona, quam ad puniendum mala. Unde conſenſus delectationis, ſine conſenſu operis, non ſufficit ad merendum, ſufficit autem ad demerendum*.

XXV. Dices quarto. Quando conſenſus fertur in ſolam delectationem, perinde eſt, ac ſi cibum vetitum ſola mulier comederet, ut tradit Auguſt *lib.* 12. *ad Trinit. cap.* 12. ſed ſola muliere comedente, vir non fuiſſet mortuus; ergo per conſenſum in ſolam delectationem non peccatur ad mortem.

XXVI. Reſpondeo, diſparem eſſe rationem. Nam mulier, & vir erant diſtinctæ perſonæ, quarum una potuiſſet damnari ſine altera. Ratio autem inferior, quæ mulieri, & ratio ſuperior, quæ viro comparatur, ad unam, eamdemque perſonam pertinent. Unde S. Aug. citato capite: *Neque enim* (inquit) *ſicut in illis duobus primis hominibus perſonam ſuam quiſque portabat: & ideo ſi ſola mulier cibum ediſſet illicitum, ſola utique mortis ſupplicio plecteretur: ita dici poteſt in homine uno, ſi delectationibus illicitis, a quibus ſe continuo deberet avertere cogitatio, libenter ſola paſcatur, nec facienda decernantur mala, ſed tantum ſuaviter in recordatione teneantur, quaſi mulierem ſine viro poſſe damnari: abſit hoc credere. Hæc quippe una perſona eſt, unus homo eſt, totuſque damnabitur; niſi hæc, quæ ſine voluntate operandi, ſed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, ſolius cogitationis ſentientur eſſe peccata, per Mediatoris gratiam remittantur*. Quibus nihil apertius pro noſtra adſtruenda ſententia.

XXVII. Dices quinto. Oratio Dominica quotidie dicitur pro remiſſione venialium, teſte Auguſt. *in Enchirid. cap.* 78. ſed conſenſum in delectationem eſſe abolendum, per orationem Dominicam, docet *lib.* 12. *de Trinitate cap.* 12. citato, dicens: quod hoc eſt peccatum *longe minus, quam ſi ſtatuatur opere implendum; & ideo de talibus quoque cogitationibus venia petenda eſt, pectuſque tundendum, atque dicendum*: Dimitte nobis debita noſtra &c.

XXVIII. Reſpondetur, neg. maj. cum D. Th. hoc art. 8. ad 5. *Oratio* enim *Dominica non ſolum contra peccata venialia dicenda eſt, ſed etiam contra mortalia*. Et idem S. Aug. in Enchirid. c. 71. *Delet* (inquit) *omnino hæc oratio minima, & quotidiana peccata: delet & illa, a quibus vita Fidelium ſcelerate etiam geſta, ſed pœnitendo in melius mutata diſcedit*. Quod vero peccata ſolius delectationis longe ſint minora peccatis operis, non arguit, ea eſſe ſolum venialia. Nam etiam inter peccata mortalia peccata operis graviora ſunt in malitia peccatis ſolius delectationis.

QUÆSTIO VI.

De Cauſis Peccatorum Actualium.

DE cauſis peccatorum agit D. Th. hac 1. 2. *qu.* 75. uſque ad 80. Dixi actualium: quia de peccato originali jam egimus *Tom.* 1. *in* 1. *p.* Cauſæ ergo peccati actualis, aliæ ſunt internæ, quæ intra hominem exiſtunt: aliæ externæ, quæ extra ipſum exiſtunt. Primi generis ſunt tres: Ignorantia ex parte intellectus; concupiſcentia ex parte appetitus; & malitia ex parte voluntatis. Secundi generis tres quoque excogitari poſſunt: nempe, Deus una cum voluntate ad actum peccaminoſum concurrens; Diabolus, ipſum perſuadens; & primus parens peccatum propagatione traducens. De hac ultima cauſa egimus. Modo de duabus prioribus agendum eſt.

DUBIUM I.

De Cauſis Interioribus Peccatorum.

§. I.

Quædam Præmittuntur.

I. PRæmittit S. Th. hac *q.* 75. *art.* 1. quod cum in peccato ſit actus, ſit inordinatio; eſt enim actus inordinatus; ex parte actus habet cauſam efficientem per ſe, ſicut quilibet alius actus: ex parte inordinationis habet cauſam ſolum per accidens, ſicut quælibet privatio, vel negatio. Porro, quia omnis cauſa per accidens reducitur in aliquam per ſe; & quia cauſa per ſe actus, ad quem ſequitur inordinatio, eſt creata voluntas, concludit: *Sic igitur voluntas carens directione regulæ rationis, & legis divinæ, intendens aliquod bonum commutabile, cauſat actum quidem peccati per ſe, ſed inordinationem actus per accidens, & præter intentionem: provenit enim defectus ordinis in actu ex defectu directionis in voluntate*.

II. Doctrinam hanc indicavit S. Aug. *Lib.* 12. *de Civit. Dei cap.* 6. ubi cum præmiſiſſet, voluntatem ſua natura bonam eſſe; res etiam, ad quas convertitur, bonas eſſe: *Quomodo* (inquit) *res bona efficiens eſt voluntatis malæ?* Cui reſpondet: *Cum enim ſe voluntas, relicto ſuperiore, ad inferiora convertit, efficitur mala: non quia malum eſt, quo ſe convertit; ſed quia perverſa eſt iſta converſio*. Hoc eſt: non quia mala ſit in eſſe naturæ res, ad quam convertitur; ſed quia inordinate ad eam convertitur, hoc eſt, relicto ſuperiore. Et ponit exemplum in duobus eamdem mulieris pulchritudinem intuentibus, animo æqualiter affectis; quorum unus pudice eam conſpicit, alter impudice eam concupiſcit: cujus cauſa non eſt ipſa pulchritudo, quæ eadem præſentatur utrique; nec natura voluntatis, vel animi, quæ æqualis eſt in utroque: ſed quia unus ad eam inordinate convertitur, alter non.

III. Hinc infert idem S. Doct. ibi cap. 7. *Non igitur quærat efficientem cauſam malæ voluntatis: non enim eſt efficiens, ſed deficiens; quia nec illa effectio eſt, ſed defectio. Deficere namque ab eo, quod ſumme eſt, ad id, quod minus eſt, hoc eſt incipere habere voluntatem malam. Cauſas porro defectionum iſtarum, cum efficientes non ſint, ut dixi, ſed deficientes; velle invenire, tale eſt, ac ſi quiſquam velit videre tenebras, vel audire ſilentium. Quod tamen utrumque nobis notum eſt: neque illud niſi per oculos, neque hoc niſi per aures; non ſane in ſpecie, ſed in ſpeciei privatione*.

IV. Quod ſi quæratur: Unde habeat voluntas creata, quod ſit cauſa deficiens; —— Reſpondet idem S. Auguſt. citato *l.* 12. *de Civit. Dei c.* 6. & *l.* 14. *c.* 13. id propterea eſſe, quia de nihilo facta eſt: *Ut natura ſit* (inquit) *ex eo habet, quod a Deo facta eſt: ut autem ab eo, quod eſt, deficiat, ex hoc, quod de nihilo facta eſt*.

V. Præmittit ſecundo S. Thomas hac *q.* 75. *art.* 2. cauſam interiorem hujus defectus eſſe duplicem: unam mediatam, & remotam; Et hunc eſſe apprehenſionem ſenſitivæ partis, & appetitum ſenſitivum: alteram immediatam, ſeu proximam: & hanc eſſe intellectum, & voluntatem: ita ut in univerſum ſint quatuor cauſæ peccati; quæ tamen non omnes ſemper ad omne peccatum concurrunt, ſed interdum omnes, interdum aliquæ. Quando ergo omnes interveniunt, hoc ordine concurrunt. Primo ſenſus proponit objectum delectabile appetitui: deinde appetitus, dum in illud inclinatur quodammodo tradit, movens rationem, ut & ipſa approbet id, cui ipſe afficitur: tum ratio devians a conſideratione regulæ debitæ, illud approbat, ac voluntati præſentat; voluntas vero conſentiendo perficit, ſeu complet rationem peccati.

§. II.

An ignorantia ſit Cauſa Peccati.

VI. IGnorantiam eſſe unum ex effectibus peccati originalis, oſtendimus *Tom.* 1. *in* 1. *P. Q.* 10. *de Effectibus Peccati Origin. Dub.* 1. §. 2. Quænam inſuper ignorantia excuſet a peccato actuali, quænam vero non, abunde expoſuimus *ſuperius Tract. de Actibus humanis Qu.* 1. *de Voluntario, Dub.* 7. Modo cum D. Th. 1. 2. *quæſt.* 76. *art.* 1. quærendum eſt: an ſit cauſa peccati; & cum eodem *art.* 2. an ſit peccatum; & *art.* 3. & 4. an excuſet, vel ſaltem diminuat peccatum.

VII. Circa primum. Ignorantiam eſſe cauſam peccati, docere videtur S. Auguſt. *lib. de Nat. & Gratia cap.* 67. & aperte teſtantur Scripturæ. Actorum enim 3. *v.* 17. dicit S. Petrus: *Scio, quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & Principes veſtri*. Et 1. *Cor.* 2. *v.* 8. Paulus ait: *Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*. Ad Epheſ. 4. v. 18. *Alienati a vita Dei per ignorantiam*.

VIII. Quia tamen ignorantia eſt quædam privatio, nimirum, defectus cognitionis, docet D. Thomas hic *art.* 1. ignorantiam non poſſe eſſe cauſam peccati, niſi per accidens; quatenus, ſcilicet, removet ſcientiam, quæ ſi adeſſet, peccatum prohibuiſſet: *Unde patet* (inquit S. Doct.) *quod non qualibet ignorantia peccantis eſt cauſa peccati; ſed illa tantum quæ tollit ſcientiam prohibentem actum peccati. Unde ſi voluntas eſſet ſic diſpoſita, quod non prohiberetur ab actu parricidii, etiamſi patrem agnoſceret; ignorantia patris non eſt huic cauſa peccati, ſed concomitanter ſe habet ad peccatum: & ideo talis non peccat propter ignorantiam, ſed peccat ignorans*. Ignorantia ergo, quæ eſt cauſa peccati, eſt, quæ ſi non eſſet, actus ille non fieret: ſive ſit ignorantia antecedens, & prorſus involuntaria; Sive ſit ignorantia principii univerſalis, ſive ſingularis. *Homo* enim (ait Div. Th.) *prohibetur ab actu parricidii per hoc, quod ſcit, patrem non eſſe occidendum & per hoc, quod ſcit, hunc eſſe patrem*. Et concludit: *Utriuſque ergo ignorantia poteſt cauſare parricidii actum: ſcilicet, & univerſalis principii, quod eſt quædam regula rationis: & ſingularis circumſtantiæ*. Aliter tamen cauſa eſt ignorantia antecedens, aliter conſequens. Nam antecedens eſt cauſa peccati materialiter: in quantum eſt cauſa talis actus, qui peccatum eſſet, niſi per ignorantiam tolleretur ab eo ratio peccati, ignorantia vero conſequens, quæ nimirum voluntatem conſequitur, & voluntaria eſt, cauſa eſt peccati proprie, & formaliter; quia actus, qui ex ea ſequitur, ſimpliciter voluntarius eſt, & proinde proprie peccatum, quamvis ſit ſecundum quid involuntarius; quia ſi ſcientia adfuiſſet, ejuſmodi actus non fuiſſet ſecutus: quia tamen ſcientiam, uti poterat, & debebat, acquirere neglexit; ideo ignorantia, & actus ex illa ſecutus imputatur ipſi.

IX. Circa ſecundum. An ignorantia ſit peccatum, reſolvit D. Thom. hic art. 3. *Quod nulla ignorantia invincibilis eſt peccatum: ignorantia autem vincibilis eſt peccatum, ſi ſit eorum, quæ aliquis ſcire tenetur; non autem ſi ſit eorum, quæ quis ſcire non tenetur*. Prior pars a nobis fuit abunde ſtabilita contra Janſenium *Tract. de Voluntario Quæſt.* 1. *Dub.* 7. §. 4. 5. *&c.* utramque vero partem probat hic S. D. ſic. Ignorantia tunc imputatur homini ad culpam, quando negligit ſcire ea, quæ poteſt, ac tenetur ſcire: ſed ignorantia invincibilis eſt eorum, quæ quis non poteſt ſcire; ergo tunc ſolum ei imputatur, quando ignorat id, quod poteſt, ac tenetur ſcire, ſeu quando negligit ſcire, quod poteſt, & debet ſcire: quæ eſt ignorantia vincibilis.

Ea autem homo ſcire tenetur (inquit S. D.) *ſine quorum ſcientia non poteſt debitum actum recte exercere. Unde omnes tenentur ſcire ea, quæ ſunt fidei, & univerſalia juris præcepta: ſinguli autem ea, quæ ad eorum ſtatum, vel officium ſpectant. Quædam vero ſunt, quæ etſi aliquis natus eſt ſcire, non tamen ea ſcire tenetur; ſicut theoremata geometriæ, & contingentia particularia, niſi in caſu*. Hinc ignorantia culpabilis eſt in Chriſtiano, qui neſciat myſteria fidei, qui ignoret præcepta juris naturalis ad bene componendos mores; & in homine ad aliquod officium deſtinato, ſi neſciat, quæ ſui officii ſunt: ut in Parocho, ſi neſciat, quæ Parochi ſunt, in Epiſcopo, quæ ſunt Epiſcopi. Alia namque tenetur ſcire Parochus, quam parochiani; & alia Epiſcopus, quam Parochus. Idem docet *Qu.* 3. *de Malo art.* 7. Unde ait hic S. Doct. *Manifeſtum eſt . . . quod quicumque negligit habere, vel facere id, quod tenetur habere, vel facere, peccat peccato omiſſionis*.

X. Advertendum propterea eſt cum eodem Qu. 3. citata de Malo art. 7. *Quod ignorantia poteſt conſiderari tripliciter. Uno modo ſecundum ſe: & ſic non habet rationem culpæ, ſed pœnæ . . . Alio modo poteſt conſiderari talis ignorantia per comparationem ad cauſam; ſicut enim cauſa ſcientiæ eſt applicatio animi ad ſciendum; ita cauſa ignorantiæ eſt, animum ad ſciendum non applicare; & hoc ipſum, quod non eſt applicare animum ad ſciendum id, quod quis debet ſcire, eſt peccatum omiſſionis. Unde ſi talis privatio cum cauſa præcedente accipiatur, erit peccatum actuale per modum, quo omiſſio peccatum dicitur. Tertio modo poteſt conſiderari talis ignorantia per comparationem ad id, quod ex cauſa ſequitur; & ſic quandoque eſt cauſa peccati*.

XI. Advertendum eſt etiam: quod cum cauſa, cur ignorantia eſt peccatum, ſit negligentia applicandi animum ad ſciendum ea, quæ quis ſcire tenetur, quæ negligentia eſſe debet aliquo modo voluntaria; ideo, ut ignorantia ſit imputabilis, debet eſſe aliquo modo conjuncta cum voluntaria negligentia, ita ut ex negligentia & ignorantia unum peccatum conſtituatur; ſicut ex actu imperante, & imperato unum peccatum fit: juxta celebre Auguſtini dictum lib. 1. de lib. Arb. cap. 19. *Non tibi imputatur ad culpam, quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere, quod ignoras*. Quapropter *L. de Gratia, & libero arbitrio cap.* 3. non abſolvit eos a culpa, qui dicunt, ſe non credidiſſe, quia non audierunt: quia in eis voluntariam aliquam negligentiam cauſam fuiſſe, cur non audierint, ſupponit.

XII. Nec tamen ſequitur, quod toto eo tempore homo peccet, quo in eo manet talis negligentia ſciendi ea, quæ ſcire tenetur: ſed ſolum pro eo tempore, quo urget præceptum ſciendi. Ut enim docet S. Thom. *Qu.* 3. *de Malo art.* 7. *ad* 12. & hoc art. 2. ad 4. *Sicut in aliis peccatis omiſſionis ſolo illo tempore homo actu peccat, pro quo præceptum affirmativum obligat: ita eſt etiam de peccato ignorantiæ. Non enim continuo ignorans actu peccat; ſed ſolum quando eſt tempus acquirendi ſcientiam, quam habere tenetur*.

XIII. Circa tertium. An ignorantia ex toto a peccato excuſet, reſolvit S. Th. hac *q.* 76. *art.* 3. primo. Quod ignorantia, quæ eſt cauſa actus peccati, ſi ſit prorſus involuntaria ſive quia eſt invincibilis; ſive quia eſt ejus, quod quis ſcire non tenetur, omnino excuſat a peccato: quia tunc homo facit talem actum ex ignorantia; ut ſi ſciret, eum eſſe prohibitum, nullo modo faceret. Quo pacto Theologi excuſant Noe inebriatum *Gen.* 9. & Jacob cognoſcentem Liam *Gen.* 29. Si tamen ignorantia, quæ eſt cauſa actus, ſit ſolum de circumſtantia actus; excuſat quidem, ſi ſit invincibilis totaliter a malitia, quæ eſt ex circumſtantia, non a malitia, quæ eſt ex ſubſtantia actus. Sic Judas *Gen.* 38. accedens ad mulierem, quam ignorabat, eſſe ſuam nurum Thamar, non ignorabat tamen, quod non eſſet ſua uxor, eſto non fuerit reus inceſtus, ſi ejus ignorantia fuit invincibilis, ut ſupponitur; fuit tamen reus fornicationis. Sic etiam (eſt exemplum Div. Thom. hic) ſi quis injuſte percutiat, & occidat eum, quem ſcit quidem, eſſe hominem, ſed invincibiliter ignorat, eſſe ſuum patrem, quod eſt circumſtantia conſtituens novam ſpeciem peccati, eſto excuſetur a culpa parricidii; a peccato tamen homicidii non excuſatur: quia adhuc occidit hominem, ſciens, eum eſſe hominem.

XIV. Secundo. Reſolvit, quod ſi ignorantia, quæ eſt cauſa peccati, ſit voluntaria: *vel directe, ſicut cum aliquis ſtudioſe vult neſcire aliqua, ut liberius peccet; vel indirecte, ſicut cum aliquis propter laborem, vel propter alias occupationes negligit addiſcere id, per quod a peccato retraheretur: talis enim negligentia facit, ignorantiam ipſam eſſe voluntariam, & peccatum; dummodo ſit eorum, quæ quis ſcire tenetur, & poteſt*. Hæc tamen ignorantia indirecte ſolum voluntaria, ſicut nonnihil diminuit de voluntario; ita aliquid diminuit de gravitate peccati, intra tamen idem genus: unde ſi actus eſt ex genere peccatum mortale, non facit, ut ſit veniale; ſed ſolum, ut in genere mortalis non ſit ita grave. Ignorantia vero directe volita non ſolum non minuit, ſed auget potius peccatum.

Quare D. Thom. Q. 3. de Malo art. 8. *Cum ergo* (inquit) *aliquis directe vult ignorare, ut a peccato per ſcientiam non retrahatur; talis ignorantia non excuſat peccatum, nec in toto, nec in parte, ſed magis auget: ex magno enim amore peccandi videtur contingere, quod aliquis detrimentum ſcientiæ pati velit, ad hoc, quod libere peccato inhæreat.*

§. III.

An Concupiſcentia, ſeu Paſſio ſit Cauſa Peccati?

XV. Concupiſcentiam eſſe cauſam peccati, oſtenſum eſt *Tract.* 1. *qu.* 8. *de peccato origin. quoad eſſentiam Dub.* 2. §. 3. ubi eam non eſſe formaliter peccatum originale, ſed a peccato eſſe, & ad peccandum incitare, contra Acatholicos modernos, probavimus. Et quidem hoc Scriptura teſtatur: tum Daniel. 13. v. 56. *Concupiſcentia ſubvertit cor tuum*: tum Jacobi 1. v. 14. *Unuſquiſque vero tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus*: & v. 15. *Deinde concupiſcentia, cum conceperit, parit peccatum.* Quod teſtatur experientia pugnæ carnis contra ſpiritum: de qua Paulus *Rom.* 7. *& Galat.* 5.

XVI. Hoc idem docet S. Thom. hic *qu.* 77. *art.* 1. ubi dicit, paſſionem appetitus ſenſitivi; eſto non directe, indirecte tamen poſſe movere voluntatem ad peccandum duobus modis. Primo. Abſtrahendo mentem a conſideratione ejus, quod recta ratio dictat; præſertim quando motus ejus ſunt vehementiores: per illam enim vehementiam contingit, quod ratio circa proprium objectum vel ceſſet operari, vel languide operetur: quia, cum *omnes potentiæ animæ in una eſſentia animæ radicentur; neceſſe eſt, quod quando una potentia intenditur in ſuo actu, altera in ſuo actu remittatur; vel etiam totaliter in ſuo actu impediatur*: Proinde fit, ut homo paulatim impetu paſſionis ſequatur, ac tandem formet judicium practicum paſſioni conſentaneum; ex cujus dictamine poſtea voluntas operetur: ut manifeſtum eſt in iis, qui vel ira, vel concupiſcentia ardent. —— Secundo. Quia paſſionem appetitus ſenſitivi ſequitur vehemens apprehenſio in imaginativa: *ſicut etiam diſpoſitionem linguæ ſequitur judicium guſtus; unde videmus, quod homines in aliqua paſſione exiſtentes non facile imaginationem avertunt ab his, circa quæ afficiuntur*, cumque judicium rationis, & ſubinde motus voluntatis plerumque ſequatur judicium appetitus ſenſitivi; fit, ut inordinatio imaginationis ex paſſione, cauſet inordinatum judicium in ratione, & motum inordinatum in voluntate, quæ nata eſt ſequi judicium rationis.

XVII. Inde fit etiam, ut ait D. Th. hoc *art.* 2. quod *ille, qui eſt in paſſione conſtitutus, non conſiderat in particulari id, quod ſcit in univerſali, in quantum paſſio impedit talem conſiderationem*: ſive quia per paſſionem mens diſtrahitur, ut dictum eſt: ſive quia paſſio plerumque inclinat in contrarium ejus, quod ſcientia univerſalis habet; ſive per quamdam immutationem corporalem, *ex qua ratio aliquomodo ligatur, ne libere in actum exeat: ſicut etiam ſomnus; vel ebrietas, quadam corporali tranſmutatione facta, ligat uſum rationis. Et quod hoc contingat in paſſionibus, patet ex hoc, quod aliquando cum paſſiones multum intenduntur, homo amittit totaliter uſum rationis.*

XVIII. Quomodo autem is, qui habet ſcientiam in univerſali, puta, non eſſe fornicandum, poſſit in particulari concludere, eſſe fornicandum; exponit S. Th. *art.* 2. *citato ad* 4. dicens: *Quod ille qui habet ſcientiam in univerſali, propter paſſionem impeditur, ne poſſit ſub illa univerſali ſumere, & ad concluſionem pervenire: ſed aſſumit ſub alia univerſali, quam ſuggerit inclinatio paſſionis, & ſub ea concludit. Unde Philoſoph. dicit in 7. Ethic.* (cap. 3.) *quod ſyllogiſmus incontinentis habet quatuor propoſitiones, duas particulares, & duas univerſales: quarum una eſt rationis, puta; nullam fornicationem eſſe committendam; alia eſt paſſionis, puta: delectationem eſſe ſectandam. Paſſio igitur ligat rationem, ne aſſumat, & concludat ſub prima: unde ea durante aſſumit, & concludit ſub ſecunda.* Hoc teſtatur Paulus *Rom.* 7. *v.* 22. *&* 23. dum ait: *Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.*

XIX. Ne tamen hinc inferas, quod ſi paſſio taliter ligat rationem, jam actio ſequens non imputabitur ad peccatum, ſaltem mortale, quia neceſſaria, non libera; monet D. Th. Q. 3. de Malo art. 10. *Quod neceſſitas, quæ eſt ex ſuppoſitione alicujus, quod ſubjacet voluntati, non tollit rationem peccati mortalis: ſicut ſi gladius infigatur alicui membris vitalibus, neceſſe eſt, quod moriatur; ſed infixio cultelli eſt voluntaria. Unde mors illius, qui cultello percutitur, imputatur percutienti ad culpam mortalem. Similiter dicendum eſt in propoſito. Poſito enim, quod ratio ſit ligata per paſſionem, neceſſe eſt, quod ſequatur perverſa electio: ſed in poteſtate voluntatis eſt, hoc ligamen rationis repellere. Dictum eſt enim, quod ratio ligatur ex hoc, quod intentio animæ applicatur vehementer ad actum appetitus ſenſitivi: unde avertitur a conſiderando in particulari id, quod habitualiter in univerſali cognoſcit. Applicare autem intentionem ad aliquid, vel non applicare, in poteſtate voluntatis exiſtit. Unde in poteſtate voluntatis eſt, quod ligamen rationis excludat. Actus ergo commiſſus, qui ex tali ligamine procedit, eſt voluntarius; unde non excuſatur a culpa etiam mortali* (hoc idem repetit ibi *ad* 1. *&* 2.) Addit tamen, quod *ſi ligatio rationis per paſſionem in tantum procederet, quod non eſſet in poteſtate voluntatis hujuſmodi ligamen removere, puta, ſi per aliquam animæ paſſionem aliquis in inſaniam verteretur, quidquid committeret, non imputaretur ei ad culpam, ſicut nec alii inſano; niſi forte quantum ad principium talis paſſionis, quod fuit voluntarium: poterat enim voluntas a principio impedire, ne paſſio in tantum procederet. Sicut homicidium, per ebrietatem commiſſum, imputatur homini ad culpam; quia principium ebrietatis fuit voluntarium.*

XX. Ex his omnibus conſtat, quod paſſio tunc ſolum a peccato excuſat, quando eſt prorſus involuntaria, tam in ſe, quam in cauſa. Ita idem S. Doct. hac *q.* 77. *a.* 7. non vero ſi ſit voluntaria, ſive in ſe, ſive in cauſa. An vero peccatum aliquomodo allevietur per paſſionem: reſpondet S. Doct. laudato loco *art.* 9. quod paſſio, quæ eſt motus appetitus ſenſitivi, poteſt ſe habere ad rationem, & liberum arbitrium, vel antecedenter, nimirum, ſecundum quod trahit, vel inclinat rationem, & voluntatem: vel conſequenter *ſecundum quod motus ſuperiorum virium, ſi ſint vehementes, redundant in inferiores.* Paſſio ergo antecedenter ſe habens, diminuit rationem voluntarii: *Paſſio* vero *conſequens non diminuit peccatum, ſed magis auget, vel potius eſt ſignum magnitudinis ejus; in quantum ſcilicet demonſtrat intentionem voluntatis ad actum peccati. Et ſic verum eſt, quod quanto aliquis majori libidine, vel concupiſcentia peccat, tanto magis peccat.*

§. IV.

An Malitia ſit cauſa Peccati.

XXI. Peccare ex malitia, ſeu ex induſtria, eſt ſcienter malum eligere, ait D. Th. hic *q.* 68. *a.* 1. non quia eligat malum ſub ratione mali; ſed quia etſi ſciat, ei bono commutabili, quod eligit, conjunctam eſſe rationem mali, nempe, averſionem a Deo, ac propterea quod deberet ab eo abſtinere; motu tamen proprio mavult illud eligere. Unde D. Th. Q. 3. de Malo art. 12. *Si ergo* (inquit) *contingat, quod aliquis in tantum velit aliqua delectatione frui, puta, adulterii; vel quocumque ejuſmodi appetibili; ut non refugiat incurrere deformitatem peccati, quam percipit eſſe conjunctam ei, quod vult: non ſolum dicetur velle illud bonum, quod principaliter vult; ſed etiam deformitatem, quam pati eligit, ne bono cupito privetur. Unde adulter, & delectationem vult quidem principaliter, & ſecundario vult deformitatem . . . ſed ad hoc, quod aliquis in tantum velit aliquid bonum commutabile, quod non refugiat averti a Deo bono incommutabili, poteſt contingere dupliciter. Uno modo, ex eo, quod neſcit, illi bono commutabili talem averſionem eſſe conjunctam; & tunc dicitur ex ignorantia peccare. Alio modo, ex aliquo interius inclinante voluntatem in bonum illud. Invenitur autem aliquid in alterum inclinari dupliciter. Uno modo, quaſi ab alio paſſum; ſicut cum lapis projicitur ſurſum. Alio modo, ſecundum formam propriam; ſicut cum lapis cadit deorſum. Et ſimiliter voluntas inclinatur ad bonum commutabile, cui adjungitur deformitas peccati: quandoquidem ex aliqua paſſione; & tunc dicitur ex infirmitate peccare . . . Aliquando autem ex aliquo habitu; quando per conſuetudinem inclinari in tale bonum, eſt ei jam verſum quaſi in habitum; & naturam: & tunc ex proprio motu, abſque aliqua paſſione, inclinatur ad illud. Et hoc eſt peccare ex electione, ſive ex induſtria, aut ex certa ſcientia, aut etiam ex malitia.*

XXII. Ex qua D. Th. doctrina apparet, quid interſit inter peccare ex infirmitate, & ex malitia: nimirum, quod tunc peccatur ex infirmitate, quando voluntas movetur a paſſione; tunc vero peccatur ex malitia, quando voluntas a ſeipſa, ſeu ex prava ſui inclinatione movetur. Quod explicavit S. Doct. citato loco *ad* 5. dicens: *Cum dicitur aliquis peccare ex aliquo, datur intelligi, quod illud ſit primum principium peccati. In eo autem qui peccat ex infirmitate, voluntas mali non eſt primum principium peccati, ſed cauſatur ex paſſione. Sed in eo, qui peccat ex malitia, voluntas mali eſt primum principium peccati: quia ex ſeipſa, & per habitum proprium inclinatur in voluntatem mali, non ex aliquo exteriori principio.*

XXIII. Dicit autem S. Doctor, eum, qui peccat ex habitu, nempe, eum, qui peccat, utens habitu vitioſo, peccare ex malitia; quia operatur quaſi connaturaliter, & delectabiliter: unicuique enim eſt per ſe diligibile id, quod eſt ei conveniens ſecundum habitum proprium, ex quo agit. Id autem, quod eſt conveniens ſecundum habitum vitioſum, eſt id, quod excludit bonum ſpirituale; ergo dum homo agit ſecundum habitum vitioſum, eligit malum ſpirituale, ut adipiſcatur bonum, quod eſt ei conveniens ſecundum habitum. Et ideo dicit S. Doctor; qui peccat ex habitu, peccat ex malitia. Qui enim habet habitum vitioſum, non omnia operatur ex pravo habitu; ſed ſicut prave habituatus poteſt non uti habitu pravo, & facere opus moraliter bonum: ita interdum peccare poteſt ex ignorantia, vel paſſione. Dicuntur autem ea, quæ ex habitu, vel conſuetudine fiunt, connaturaliter fieri, non quia libere non fiant; ſed quia ſicut natura vehementer inclinat in id, quod eſt naturæ conveniens: ita habitus vehementer inclinat in ea, quæ ſunt ipſi convenientia. Quia tamen habitus recipitur in anima ſecundum conditionem ejus, quæ libera eſt; ideo libere utitur habitu, qui eſt in ipſa.

XXIV. Non eſt tamen neceſſe, ut qui peccat ex certa malitia, ſemper peccet ex habitu. Ita D. Th. hic *art.* 4. Et probatur primo. Sicut ſe habet habitus bonus ad electionem boni, ita habitus malus ad electionem mali: ſed quandoque aliquis, non habens habitum virtutis, eligit id, quod eſt bonum ſecundum virtutem: ut manifeſtum eſt in pœnitentibus, qui priuſquam juſtificentur, & habitum charitatis recipiant, Deum tamquam juſtitiæ fontem diligere incipiunt; ergo etiam quandoque aliquis, non habens habitum vitioſum, poteſt eligere malum, quod eſt ex certa malitia peccare.

XXV.

XXV. Confirmatur. Tunc aliquis ex certa malitia peccat, quando ejus voluntas ex ſeipſa primo deordinat, & movetur ad malum: ſed voluntas ejus, qui nullum pravum habitum habet ex ſe, hoc eſt, non ex paſſione, vel ignorantia moveri poteſt ad malum; ergo &c. Et conſtat in Angelis, quorum primum peccatum non fuit ex ignorantia, aut paſſione, ſed ex certa malitia: & tamen in eis nullus habitus pravus præceſſerat.

XXVI. Ex dictis infertur, peccata, quæ ex certa malitia, & certa ſcientia committuntur, cæteris paribus, eſſe graviora, quam ea, quæ committuntur ex ignorantia, vel paſſione. Ita S. Thom. hac *qu.* 78. *art.* 4. *& Qu.* 3. *de Malo art.* 13. Et probatur primo. Quia ſunt magis voluntaria: quanto autem motus peccati eſt magis proprius voluntati, ſeu magis habet de voluntario, tanto gravius eſt. —— Secundo. Quia paſſio, quæ inclinat ad peccandum, cito tranſit; & ſic homo cito redit ad bonum propoſitum, pœnitens de peccato: ſed habitus, quo homo ex malitia peccat, eſt qualitas permanens: & ideo qui ex malitia peccat, diuturnius peccat. —— Tertio. Quia *qui peccat ex infirmitate, habet voluntatem ordinatam in bonum finem: bonum enim proponit, & quærit; ſed interdum recedit a propoſito propter paſſionem. Sed ille, qui peccat ex malitia, habet voluntatem ordinatam in malum finem: habet enim firmatum propoſitum ad peccandum. Manifeſtum eſt autem, quod finis in appetibilibus, & operabilibus ſe habet, ſicut principium in ſpeculativis, ut Philoſ. dicit in* 2. *Phyſ. Ille autem graviſſime ignorat, & periculoſiſſime, qui errat circa principia: quia talis non poteſt reduci per aliqua principia priora. Ille autem, qui errat tantum circa concluſiones, poteſt reduci per principia, in quibus non errat. Sic ergo graviſſime, & periculoſe peccat, qui peccat ex malitia, & non poteſt de facili revocari: ſicut revocatur ille, qui peccat ex infirmitate, in quo ad minus manet bonum propoſitum.* Ita S. Thom. qu. 3. citata de Malo.

XXVII. Nec refert, quod peccans ex paſſione, peccet eligendo, & quandoque ex majori impulſu procedat, quam qui peccat ex habitu; & proinde ex malitia.

Nam, ut ait D. Thom. hac qu. 78. art. 3. ad 4. *Aliud eſt peccare eligentem, & aliud peccare ex electione. Ille enim, qui peccat ex paſſione, peccat quidem eligens, non tamen ex electione: quia electio non eſt in eo primum peccati principium: ſed inducitur ex paſſione ad eligendum id, quod extra paſſionem exiſtens non eligeret. Sed ille, qui peccat ex certa malitia, ſecundum ſe eligit malum... Et ideo electio, quæ eſt in ipſo, eſt principium peccati: & propter hoc dicitur ex electione peccare.* Quod vero impulſio ex paſſione interdum ſit vehementior, non auget peccatum: quia ut ait S. Doct. citatus ad 2. *Impulſio, quæ eſt ex paſſione, eſt quaſi ab exteriori reſpectu voluntatis; ſed per habitum inclinatur voluntas, quaſi ab interiori.* Quod docet etiam citata *Qu.* 3. *de Malo art.* 13. *ad* 5.

D u b i u m III.

An Deus ſit Cauſa Peccati?

§. I.

Aliqua Præmittuntur.

I. In peccato actuali commiſſionis duo ſunt; materiale, nempe, actio, & formale, nempe, deformitas. De hoc ſecundo, in quo formaliter ſiſtit peccatum, agit D. Thom. hic *qu.* 79. *art.* 1. & *Qu.* 3. *de Malo art.* 1. De priori vero citata *qu.* 79. *art.* 2. & *Qu.* 3. *de Malo art.* 2. In hoc Dubio agemus de peccato pro formali: an ejus cauſa, vel auctor ſit Deus. Et de peccato pro materiali, ideſt, an Deus ſit cauſa actionis peccati, agemus in ſequenti.

II. Primum, qui omnium malorum Deum cauſam eſſe aſſeruit, fuiſſe Simonem Magnum, teſtatur Lirinenſis: *Commonitorio adverſus profanas vocum novitates*: ait enim: *Quis ante Magum Simonem Apoſtolica diſtrictione percuſſum, a quo vetus ille turpitudinis gurge uſque ad noviſſimum Priſcillianum continua, & occulta ſucceſſione manavit, auctorem malorum, ideſt ſcelerum, impietatum, flagitiorumque noſtrorum auſus eſt dicere Creatorem Deum?* Verum præter Lirinenſem, nullus Patrum, nec S. Auguſt. *Lib. de Hæreſ. cap.* 1. hunc errorem Simoni impingit. Imo cum Simon negaret, Mundum eſſe creatum a Deo, ſed ab Angelis, vel aliis virtutibus; credere par eſt, eum potius mala refudiſſe in has creatrices virtutes: ſicque præluſiſſe errori, quem poſtea amplexati ſunt Manichæi, & alii, duos Deos ſomniantes, unum bonum, & bonorum omnium effectorem, alterum malum, & malorum omnium cauſam.

III. Florinus tamen, & Blaſtus hæretici ſecundi ſeculi, contra quos ſcripſit Irenæus, Deum cauſam, & auctorem peccati eſſe dixerunt; nulla facta diſtinctione Dei boni, & mali. Ita refert Euſebius *Lib.* 5. *Hiſt. cap.* 20. his verbis: *Adverſus autem illos, qui ſinceram Eccleſiæ legem adulterabant, Irenæus varias conſcripſit Epiſtolas. Alteram ad Blaſtum. quam inſcripſit de Schiſmate: alteram ad Florinum, de Monarchia, ſeu quod Deus non ſit Conditor malorum. Eam enim opinionem hi defendere videbantur.*

IV. Ex recentioribus autem hæreticis, qui omnes antiquos errores extumularunt, Calvinus, Deum peccati cauſam, & auctorem facit, quod quamvis ipſe verbis negare videatur alicubi, alibi tamen fatetur; ut oſtendi in *Vera Eccleſia Tom.* 1. *cap.* 12. §. 2. *&* 3. Affirmat enim Calvinus, Deum eſſe peccatorum cauſam principalem, homines vero, & Diabolum eſſe ſuos miniſtros *Lib.* 1. *Inſtit. cap.* 18. §. 1. ubi loquens de Diabolo, & ſceleſtis hominibus, qui Job afflixerunt: *Molitur* (inquit) *Satan ſanctum virum deſperatione adigere in furorem. Sabæi crudeliter, & impie in aliena bona prædando involant... ergo quidquid agunt homines, vel Satan ipſe, Deus tamen clavum tenet, ut ad exequenda ſua judicia convertat eorum conatus.* Inde enumeratis aliis flagitiis, ad inceſtum Abſalonis veniens, ait: *Abſalon inceſto coitu patris torum polluens, deteſtabile ſcelus perpetrat: Deus tamen hoc opus ſuum eſſe pronunciat*, Et §. 3. ſupradicta Theologorum diſtinctione, Deum ſcilicet, peccata quidem permittere, ſed poſitive non velle, aut efficere, ait: *Et jam ſatis oſtendi, Deum vocari omnium eorum auctorem, quæ iſti cenſores volunt, otioſo tantum ejus permiſſu contingere.* Tantæ tamen blaſphemiæ horrore deterritus, vel potius Libertinorum convicia, eam ipſi exprobrantium, declinare volens Calvinus in *Admonitione* contra ipſos, & in *Præfat. libri de Æterna prædeſt.* maculam iſtam a ſe avertere conatur. Sed is eſt hæreticorum mos, affirmare, & negare, prout libet. Quando Calvinus egit contra Catholicos, contra puram Dei permiſſionem aperte aſſeruit, non otioſo tantum permiſſu, ſed Dei voluntate, & decreto fieri peccata; Deum eſſe auctorem omnium flagitiorum, non nudum permiſſorem. Cum vero poſtea Libertini (Lutheri partim, & Calvini ſoboles) hanc ejus doctrinam evulgare cœperunt; ſentiens, eam omnium deteſtatione velut impiam, ac blaſphemam reprobari, verſis velis, eam, ac ſeipſum cœpit oppugnare.

V. Quidquid tamen obſtrepant ejus gregales, Calvinum ſenſiſſe Deum auctorem, & cauſam eſſe peccatorum, oſtenditur. Primo, ex verbis ejuſdem ſupra recitatis. Secundo, rationibus, quæ in doctrina ejus fundantur. Nam ipſe primo docet, Deum ab æterno prædeſtinaſſe peccata Adæ, & aliorum hominum æterno ſuo conſilio, ac voluntate. Secundo: Deum in tempore Diabolum impellere, ut nos inducat ad peccandum; imo etiam occulta vi nos movere, ac neceſſitare ad peccandum. Tertio: Peccata nobiſcum ita effective, ac phyſice producere, ut dici poſſint opera Dei; & ipſe Deus ſit principalis cauſa, Diabolus autem, & homines miniſterialis. Sed qui primo decernit, efficaciter impellit, movet, neceſſitat, ac efficit aliquod opus ut cauſa principalis, præcipuus eſt auctor illius operis; ergo ac doctrina poſita, negari non poteſt, quin Deus ſit auctor peccati. Videndus eſt Calvinus *lib.* 1. *Inſt. cap.* 18. §. 1. 2. *&* 3. citatis.

VI. Qui vero ex ſchola Societatis communiter volunt, Deum præparare, ac nobis exhibere ſuam omnipotentiam per decretum indifferens, tam ad actum bonum, quam ad actum malum; qua propoſitione ſuppoſita, relinquitur in arbitrio libertatis creatæ determinare tam ſeipſam, quam omnipotentiam, & reliqua comprincipia ad partem, quam ipſa maluerit, nempe, vel ad actum bonum, vel ad actum malum; dicunt, omnipotentiam determinatam ad actum malum concurrere cum voluntate ad actum malum, etiam ad malitiam, concurſu phyſico, cum hac tamen differentia; quod non influit ex propria, ſed ex aliena determinatione; ſic, ut malitia ſit quidem a Deo influxive, ſed a voluntate creata determinative. Ex quo inferunt, exiſtentiam actus mali præ bono, vel e contra, non eſſe immediate liberam Deo, ſed ſolum mediate; ratione decreti præparativi indifferenter omnipotentiam. Quia vero tam ex parte decreti præparativi omnipotentiæ, quam ex parte concurſus immediati nulla apparet diſparitas in influxu phyſico Dei ad actum bonum, & ad malum; ideo ut ſtatuant, concurſum Dei ad peccatum eſſe pure permiſſivum, dicunt, tale decretum applicativum omnipotentiæ nullum identificare amorem adhuc inefficacem ex parte Dei de exiſtentia peccati: imo potius Deum præparare omnipotentiam ex intentione ſaltem inefficaci exiſtentiæ actus boni, cum nolitione, & diſplicentia, quod a voluntate creata determinetur ad actum malum. Quare dicunt, Deum concurrere ad malitiam peccati, quaſi invitum, & tractum a creatura, contra ſuam inclinationem; & hoc ab extrinſeco, nempe, a determinatione creaturæ. Quid de hac opinione ſentiamus, dicemus infra.

§. II.

Aſſertio Catholica.

VII. Dico. Deus nec eſſe poteſt cauſa, ſeu auctor peccati. Hæc veritas adeo certa fuit antiquis Philoſophis, etſi lumine fidei deſtitutis; ut nemo eorum poſuerit, Deum malorum cauſam eſſe. Unde Plato de Republica verſus finem, poſtquam probavit, quod Deus, ex quo bonus, nihil mali facit, ac nullius mali eſt cauſa, ſubdit: *Non igitur vel Homerum, vel alium Poetam quempiam probo, qui hoc circa Deum peccatum ſtulte committat.* Quæ Marſilius Ficinus interpretatur, dicens: „ Deteſtatur mox poeticam impietatem turpia de Diis „ fingentem: atque hujuſmodi audiri fabulas prohibet. Sub- „ jungit geminas Theologiæ figuras: primam, Deum omni- „ no bonum eſſe, bonorumque dumtaxat cauſam; mali ve- „ ro nullius cauſam eſſe Deum “. Inſuper apud Theodoretum *Orat.* 6. *contra Græcos* idem Plato ſcribit: *Culpa eſt eligentis: Deus culpa caret: Deus enim malorum cauſa non eſt.* Quare Saluſtius lib. de Diis, & Mundo cap. 12. *Sed quanam ratione* (inquit) *Dii, cum boni ſint, omniaque ipſi faciant, mala ſunt in Mundo? An primum dici iſtud oportet, cum Dii boni ſint, & omnia faciant, mali nullam eſſe naturam; ſed ex boni abſentia fieri, quemadmodum tenebræ ex ſeipſis non ſunt, ſed ex abſentia luminis oriuntur.* In quo Philoſophi omnes concordes fuerunt. Videbant, mala eſſe in Mundo; ſed videbant, ea a Deo ſummo bono eſſe non poſſe: unde quærentes cauſam, vel nullam eſſe dicebant, ſed abſentiam boni, vel ad hoc devenerunt, ut dicerent, vel

mate-

materiam primam, vel alterum Deum malum eſſe malorum cauſam.

VIII. Hoc indicavit Moyſes *Geneſ. 1. ver. 31.* dum ait: *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Cui conſonant illud Eccleſiaſtici 3. ver. 11. *Cuncta fecit bona in tempore ſuo:* & illud 1. ad Timoth. 4. ver. 4. *Omnis creatura Dei bona eſt.* Quod ſi aliqua animalia homini ſunt mala, quia nociva; non perinde in ſe mala ſunt: ſed quæ Deus fecit bona; homo peccando fecit ſibi mala. Unde S. Auguſt. lib. 1. de Geneſ. contra Manich. cap. 16. *Ego vero* (inquit) *fateor, me neſcire, mures, & ranæ quare creatæ ſunt, aut muſcæ, aut vermiculi. Video tamen, omnia in ſuo genere pulchra eſſe: quamvis, propter peccata noſtra, multa videantur nobis adverſa.* Et Theodoretus *qu. 18. in Geneſ.* ait: *Qui in virtute educati ſunt, beſtiarum incurſus minime formidant.* Ideo Adæ ante peccatum animalia omnia erant ad obſequium; incluſa cum Noe in Arca, nec ipſi, nec familiæ ejus læſionem afferre auſa ſunt. Danieli Leones pepercerunt, nec Paulo Vipera nocuit: *Nos ergo* (concludit Theodoretus) ideo beſtias *formidamus, quia virtute, ac moribus præditi non ſumus.*

IX. Malorum vero culpæ Deum cauſam, & auctorem non eſſe, clamant ubique Scripturæ. *Non Deus volens iniquitatem tu es* (dicit David Pſal. 1. ver. 5.) *Mundi ſunt oculi tui, ne videas* (ſcientia nimirum approbationis) *malum; & reſpicere ad iniquitatem non poteris* (inquit Habacuc 1. ver. 13.) Sap. 11. *ver. 25.* dicitur: *Nihil odiſti eorum, quæ feciſti:* atqui Deus odit impium & impietatem, Sap. 14. ver. 9. *Odio ſunt Deo impius, & impietas ejus;* ergo Deus nec facit peccata, nec peccatores in quantum tales. Proinde & Paulus *ad Rom. 3. a ver. 5.* probat, in Deo nullam eſſe iniquitatem, nec noſtram malitiam in Deum eſſe refundendam; ex eo quod Deus præmiat, & punit, & in futuro judicio ſecundum cujuſque opera judicabit Mundum: *Si autem* (ait Paulus) *iniquitas noſtra juſtitiam Dei commendat, quid dicemus? Nunquid iniquus eſt Deus, qui infert iram? ſecundum hominem dico. Abſit. Alioquin quomodo judicabit Deus hunc Mundum?* Ideſt, quomodo Deus juſte puniret homines in judicio, ob ea peccata, quorum Deus auctor fuiſſet, & quæ ſua voluntate, & impulſu, ut ejus miniſtri, commiſiſſent? Ex hoc principio arguebat Origenes *lib. 6. contra Celſum*, ſic: *At nos dicimus, quod malum, hoc eſt vitium, ejuſque opera Deus non facit; alioquin quomodo conſiſteret prædicatio futuri judicii.... ſi Deus malorum eſſet auctor?*

X. Neque Valentinus, quantumvis impius, in hanc dementiam deſcendere potuit, ut Deum faceret malorum auctorem: quin potius hoc aperte negat apud Origenem *Dialog. 3. contra Marinum*, ubi ſic ait: *Deum autem dicere horum auctorem, & molitorem non audere potui; neque judicabam, hoſce ab illo ſuam hauſiſſe ſubſtantiam, vel conſtitutionem, ut in rerum natura ſubſiſterent. Qui enim de Deo iſta cogitari poſſent; cum bonus rerum meliorum procurator, & effector ſit, malorum vero in eo nihil inſit: qui tantum abeſt, ut illiuſmodi gaudeat, ut univerſum illud genus, & propaginem averſetur; eoſque, qui illis delectantur, exterminat, qui autem ea fugiunt, recipit? Quomodo enim abſurdum non ſit, Deum illorum architectum dicere, qui ea reſpuit, ac renuit?* Hactenus Valentinus. In hoc Calvino ſanior quia hominum flagitia, degladiationes, cædes &c. maluit tribuere materiæ primæ; quam illis Dei ſanctitatem, qui ea reſpuit, ac exterminat, inquinare.

XI. Scio, Calviniſtas, ut hæc, & alia inferius dicenda, effugiant, conari eludere ſic: nempe, Deum eſſe quidem auctorem furti, ſtupri, adulterii, ſed non eſſe auctorem peccatorum; quia ejuſmodi, ut ſunt a Deo, peccata non ſunt.

XII. Verum quæro ab ipſis. Quare furtum, ſtuprum, adulterium, ut fiunt ab homines, qui eſt tantum inſtrumentum, & miniſter, ſunt peccata: non ſunt autem quatenus ſunt a Deo, qui eſt agens, & cauſa principalis, cujus voluntatem homo peccando exequitur? —— Dicent: quia voluntas Dei bona eſt, hominis mala. —— Sed iterum quæro: cur voluntas Dei in eodem opere bona eſt, & hominis mala?

XIII. Reſpondet: hoc eſſe, quatuor ex cauſis. Prima. Quia tota natura humana vitio primi Parentis corrupta eſt. —— Secunda. Quia Deus non vult peccatum: ut culpam, ſed ut pœnam alterius peccati. —— Tertia. Quia Deus habet bonum finem propoſitum, homo malum. Deus enim vult, homines peccare; ut habeat quos juſte damnet, & quorum liberaliter miſereatur: ut ea ratione, juſtitiæ, ac miſericordiæ ſuæ gloriam manifeſtet; homo autem peccat, ut libidinem ſuam expleat, non ut gloriæ Dei ſerviat. —— Quarta. Ideo voluntas hominis in opere mala eſt, non autem voluntas Dei: quia homini poſita eſt lex, non autem Deo: ac propterea in eodem opere homo peccat, quia legem tranſgreditur, non autem Deus.

XIV. Sed prima cauſa non ſubſiſtit. Eſto enim haberet locum in peccatis hominum; in primo tamen peccato Adami, & Luciferi locum habere non potuit. Nam ſi quæram: quare voluntas Adami, & Luciferi fuerit mala in primo peccato, non autem voluntas Dei? Non poterit certo reſponderi: quia natura humana, & Angelica erat corrupta.

XV. Nec ſecunda cauſa ſubſiſtit eadem ratione. Nam primum peccatum Adami, & Luciferi non potuit eſſe a Deo volitum in pœnam alicujus peccati præcedentis; cum ante primum peccatum nullum aliud peccatum præceſſerit.

XVI. Neque ſubſiſtit tertia cauſa, quam reddunt Zuvinglius *lib. de Providentia cap. 9.* Calvinus *lib. 1. Inſtitut. cap. 17. §. 5.* & *in lib. de æterna Dei Prædeſtinat.* & *in Inſtruct. adverſus Libertinos.* Et Beza *in Reſponſ. ad Sebaſtianum Caſtalionem in refut. ſecundæ calumniæ*: Nam hæc reſponſio ex ipſo Calvino refutari poteſt. Quia ex ejus principiis, Deus eſt cauſa non ſolum mali operis, ſed etiam malæ intentionis, & voluntatis, qua ab homine fit. Si enim Deus ab æterno decrevit, ac prædeſtinavit peccatum, quod poſſet juſte punire, aut liberaliter condonare: & peccatum non eſt peccatum, niſi mala intentione fiat: neceſſe eſt dicere, Deum prædeſtinaſſe, ac decreviſſe, ut homo mala intentione operaretur; ergo mala intentio eſt effectus divinæ prædeſtinationis; ergo etiam peccatum ut peccatum, eſt effectus Dei; & Deus eſt cauſa, & auctor peccati, ut peccatum eſt, & ut ab homine fit.

XVII. Quarta cauſa (quæ a Zuvinglio aſſignatur) etiam rejicitur ab eodem Calvino *lib. 3. Inſt. cap. 23. §. 2.* ubi ait: *Non fingimus Deum ex lege &c.* Et merito; quia etſi Deo non ſit poſita lex ab aliquo ſuperiori (quia ſuperiorem ſe non habet) tamen ipſa bonitas, & natura Dei eſt ipſi regula, & lex. Sicut ergo furtum, adulterium, mendacium, & quamvis aliud peccatum contra legem naturæ repugnat bonitati Dei; ita repugnat legi, quæ eſt ipſe Deus, & quam natura ſua ſervare tenetur. Igitur ſi voluntas Dei, ſicut voluntas hominis, eligeret mendacium, adulterium &c. non minus tranſgrederetur legem ſibi connaturalem, quam homo legem ſibi impoſitam: & proinde, vel ambæ eſſent bonæ, vel ambæ malæ.

XVIII. Hinc confici poſſunt aliæ duæ inſtantiæ. Prima, Deus non poteſt id velle, quod ejus naturæ contrarium eſt: ſed peccatum eſt contrarium naturæ Dei; quia peccatum eſt malitia, Deus autem eſt ſumma bonitas. —— Secunda. Si Deus vellet, homines peccare; ſequeretur, eos qui peccant, non peccare: nam illi non peccant, qui ſuam voluntatem conformant voluntati divinæ. Sequeretur etiam, nos quotidie, dum dicimus: *Fiat voluntas tua:* oraro ut fiant peccata; & fruſtra dicere: *Ne nos inducas in tentationem.*

XIX. Hæc veritas adeo certa eſt apud Patres, ut ſuperfluum ſit eos afferre. Nonnulla tamen eorum teſtimonia exhibemus. Sanct. Irenæus (referente Euſebio *lib. 5. Hiſt. cap. 20.* & S. Hieronym. *lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis*) ſcripſit contra Florinum librum de Monarchia: *Quod Deus non ſit conditor malorum.* In idem argumentum Sanct. Baſilius *Homilia* inter alias *9.* & Damaſcenus *lib. 4. de Fide* hoc titulo inſcripſit *cap. 19.* Sanct. Ambroſius lib. 1. *Hexameron* cap. 8. *Nunquid* (inquit) *ſimul malitiam Deus creavit? Sed ea ex nobis orta, non a Creatore Deo condita, morum levitate generatur. Non ullam creaturæ habens prærogativam, nec auctoritatem ſubſtantiæ naturalis; ſed mutabilitatis vitium, & errorem prolapſionis. Eradicari hanc Deus vult de animis ſingulorum. Quomodo eam ipſe generaret, cum clamet Propheta:* Deſinite a malitiis veſtris? Inde converſus ad hæreticorum Marcionitas, Valentinianos, & Manichæos, pergit, dicens: *Tu ipſe tibi es cauſa improbitatis: tu ipſe dux flagitiorum tuorum: atque incentor criminum. Quid alienam naturam accerſis ad excuſationem tuorum lapſuum? &c.*

Et Sanct. Hieronymus *in cap. 1. ad Epheſ.* exponens illa verba: *Qui univerſa operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ,* ait: *Non quo omnia, quæ in Mundo fiunt, Dei voluntate, & ſilio peragantur; alioquin & mala Deo poterunt imputari: ſed quo univerſa, quæ facit conſilio faciat, & voluntate.*

XX. Præ cæteris tamen audiendus eſt Auguſtinus, quem, licet inaniter, ſibi propitium jactant Calviniſtæ. Is enim *lib. de Prædeſt. SS. cap. 10.* expreſſe negat, Deum prædeſtinare ea, quæ non facit, nempe, peccata: *Prædeſtinatio* (inquit) *ſine præſcientia eſſe non poteſt: poteſt autem ſine prædeſtinatione præſcientia: Prædeſtinatione quippe Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus.... præſcire autem potens eſt etiam, quæ ipſe non facit, ſicut quæcumque peccata.* Et lib. 1. de Anima, & ejus orig. cap. 7. *Peccatores* (inquit) *Deus prænoſcit, non facit.* Idem docet *lib. 3. de Lib. arbit. cap. 4.* dicens: *Deus omnia, quorum ipſe auctor eſt, præſcit; nec tamen omnium, quæ præſcit, ipſe auctor eſt. Quorum autem non eſt malus auctor, juſtus eſt ultor.* Auguſtino ſubſcribunt Sanctus Proſper in reſponſ. ad cap. Gallorum cap. 14. *Infidelitas non credentium, non ad conſtitutionem Dei, ſed ad præſcientiam referenda eſt.... Tam ergo in errore eſt, qui infidelitatem impiorum ad Dei conſtitutionem refert; quam qui fidei, juſtitiæque Sanctorum non Deum profitetur auctorem.* Sanctus item Fulgentius tum lib. 1. de Verit. Prædeſt. *Iniquis vero* (inquit) *& impiis nec præparare Dominus potuit aliquando, nec dare mala opera, quibus damnabiliter ſervirent; neque malas eis voluntates inſeruit.... mala ergo voluntas non eſt ex Deo: & ideo eam juſtus judex in hominibus punit; quia non in ea Creator bonus ordinem ſuæ creationis agnoſcit.* Et lib. 2. ad Monimam cap. 23. *Proinde Fidelibus congruit credere, & fateri; Deum præſciviſſe quidem peccaturos homines; quia nihil eum latere potuit futurorum: non tamen prædeſtinaſſe quemlibet hominem ad peccatum: quia ſi ad peccatum aliquod hominem Deus prædeſtinaret, pro peccatis hominem non puniret.* Hæc eſt ſincera Scholæ Sanct. Auguſtini doctrina, cui directe contradicit doctrina Calvini, qui *lib. 1. Inſt. cap. 18.* & alibi dicit, omnia etiam peccata, Dei decreto, & conſilio fieri ex illo Pſalmi intellecto: *Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit.*

XXI. Ulterius; voluntatem malam nullo modo eſſe a Deo, docet idem Sanct. Auguſtinus *lib. de Spiritu, & litt. cap. 31.* acute obſervans: *Nuſquam autem legimus in Scripturis:* Non eſt voluntas, niſi a Deo. *Et certo non ſcriptum eſt, quia verum non eſt: alioquin etiam peccatorum, quod abſit, auctor eſt Deus, ſi non eſt voluntas, niſi ab illo: quoniam mala voluntas jam ſola peccatum eſt, etiamſi deſit effectus: ideſt, ſi non habeat poteſtatem.* Et lib. 5. de Civit. Dei cap. 9. *Sicut omnium naturarum Creator eſt* (Deus) *ita omnium poteſtatum dator,*

dator, non voluntatum. Malæ quippe voluntates ab illo non ſunt; quoniam contra naturam ſunt, quæ ab illo eſt.

XXII. Patribus Concilii accedunt, Arauſicanum II. 23. (anno 529.) *Suam* (inquit) *voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo diſplicet,* & Canon. 25. *Aliquos ad malum divina poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolum non credimus; ſed etiam ſi ſunt qui tantum malum credere volunt, cum omni deteſtatione illis anathema dicimus.* Cui ſubſcribit Concilium Valentinum III. anno 865. *cap. 3.* & Tridentinum *Seſſ. 6. Can. 16.*

XXIII. Ratio autem D. Thom. hac *qu. 79. art. 1.* eſt: Deus nullo modo poteſt eſſe cauſa peccati. Non directe inclinando voluntatem ad peccatum: quia omne peccatum eſt per receſſum ab ordine, qui eſt in Deum ſicut in finem: ſed Deus omnia, quæ facit, inclinat, & ordinat in ſeipſum, ut ultimum finem; ergo &c. Eorum enim, quorum Deus non poteſt eſſe ultimus finis, nec poteſt eſſe prima cauſa: quia in ipſo ratio ultimi finis, & primæ cauſæ prorſus adæquantur. —— Nec etiam indirecte eo modo, quo gubernator navis eſt cauſa ſubmerſionis; quia non retrahit navem a ſubmerſione, cum poſſit. Nam in tantum gubernator navis dicitur cauſa indirecta ſubmerſionis navis, non ſolum quia poteſt, ſed quia debet, ac tenetur eam a ſubmerſione retrahere; quod ſi, aut non poſſit, aut non debeat, ei non imputatur: atqui Deus, etſi poſſit conferre homini auxilium, quo retraheretur a peccando, non tamen debet; ſed ſi non confert, hoc facit ſecundum ordinem ſuæ ſapientiæ, & juſtitiæ; ergo quod homo peccet, non imputatur ei, ut cauſæ peccati.

Alia ſimili ratione utitur *qu. 3. de Malo art. 1.* ſic: Deus nec peccare poteſt ipſe, nec facere, quod alius peccet. Non primum: quia vitium, ſeu peccatum contingit per receſſum a debito fine, & regula; ut in artefactis apparet, in generatione monſtruoſa, & vitioſa: cum autem Deus ſit ipſe ultimus finis, & prima regula moralitatis, non poteſt a regula morum, & ultimo fine deficere, alias deficeret a ſeipſo. Non ſecundum: quia peccatum, ut nunc loquimur, conſiſtit in averſione voluntatis creatæ ab ultimo fine: impoſſibile autem eſt, quod Deus, qui eſt ultimus finis, faciat, voluntatem alicujus averti ab ultimo fine. Omne enim agens dat alteri quantum poteſt, ſuam ſimilitudinem; vel imprimendo in eo formam ſuam, ut cum calidum calefacit, vel convertendo alia ad finem ſuum, ſicut homo per præceptum convertit alios ad finem, quem intendit. Cum ergo cauſæ creatæ hoc faciant ex imitatione cauſæ primæ; ſi calidum, ſubjectum, in quo agit, ita quantum poteſt movet ad calorem, ut ad receſſum a calore movere nequeat; & homo præcipiens, ita ſtudet convertere ad finem, quem intendit: ut nequeat movere ad receſſum ab eo fine: multo magis Deus, qui eſſentialiter eſt ſummum bonum, & ultimus finis, movet, & convertit voluntates creatas ad bonum, & ultimum finem; ut nequeat eas movere, aut inclinare ad receſſum a ſummo bono, & ultimo fine. Ita S. Thom. & quidem acute.

§. III.

Hæreticorum fundamenta everſa.

XXIV. OPponit Calvinus primo. Scriptura dicit, Deum aliquando per ſeipſum, aliquando per malos Angelos hortari, & inſtigare homines ad peccatum; ut 2. Reg. 16. ver. 10. *Dominus præcepit ei* (*Semei*) *ut malediceret David.* 2. Reg. 24. ver. 1. *Et addidit furor Domini iraſci contra Iſrael; commovitque David in eis dicentem: Vade, numera Iſrael, & Judam.* In quo certe David peccavit, cum ob hanc numerationem pœnam meruerit. Item 3. *Reg. 22. ver. 22.* Spiritui mendacii *Dixit Dominus: Decipies, & prævalebis: egredere, & fac ita:* & ver. 23. *Dedit Dominus ſpiritum mendacii in ore omnium Prophetarum.* Ezechielis 14. ver. 9. *Ego Dominus decepi Prophetam illum.* Et 2. Theſſalonic. 2. ver. 11. *Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.* His accedunt alia ſimilia: ut Pſal. 43. ver. 19. *Declinaſti ſemitas noſtras a via tua.* Pſal. 104. ver. 25. *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus.* Et Pſal. 118. ver. 36. *Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in avaritiam.*

XXV. Deum quoque re ipſa operari, & efficere, quæ mala ſunt, habetur 2. Reg. 12. ver. 11. *Hæc dicit Dominus: Ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus tuis in oculis Solis hujus. Tu enim feciſti abſcondite: Ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſrael, & in conſpectu Solis hujus.* Quæ de inceſtu Abſalon cum uxoribus David patris ſui dicuntur. Super quibus Calvinus lib. 1. Inſtit. cap. 18. §. *Abſalon* (inquit) *inceſtuoſo coitu patris torum polluens, deteſtabile ſcelus perpetrat: Deus tamen hoc opus ſuum eſſe pronunciat.* Et de Chriſti interfectoribus, ibidem, ait, *Pilatus, & milites rabioſi eorum libidini morem gerunt; fatentur tamen in ſolemni precatione diſcipuli* (Act. 4. ver. 28.) *nihil feciſſe omnes impios, niſi quod manus, & conſilium Dei decreverant: ſicut jam ante concionatus fuerat Petrus* (Act. 2. ver. 15.) *definito conſilio, & præſcientia Dei traditum fuiſſe, ut interficeretur.* Hæc, aliaque ſimilia exempla, affert Calvinus in ſui erroris patrocinium.

XXVI. Reſpondeo tamen, ex ſupra allatis Scripturæ textibus aperte conſtare, Deum nec conſilio, nec voluntate, nec nec imperio, nec phyſico influxu ad peccata concurrere, aut movere. Si tamen oppoſitum alicubi dicere videatur, præ oculis habenda eſt doctrina D. Thom. *in cap. 9. ad Rom. lect. 3.* ubi ſic ait: *Dicitur etiam* (Deus) *ſuſcitare aliquos ad malum faciendum, ſecundum illud Iſaiæ 13.* Suſcitabo Medos, qui ſagittis parvulos interficiant: *Aliter tamen ad bona, aliter ad mala. Nam ad bona inclinat hominum voluntates directe, & per ſe, tamquam actor bonorum: ad malum autem dicitur inclinare, vel ſuſcitare homines occaſionaliter; in quantum ſcilicet Deus homini aliquid proponit vel interius, vel exterius, quod, quantum eſt de ſe, eſt inductivum ad bonum; ſed homo propter ſuam malitiam perverſe utitur ad malum* (*Rom. 2.*) Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, ſecundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ. *Et Job 24.* Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbia. *Et ſimiliter Deus, quantum eſt de ſe, interius inſtigat hominem ad bonum; puta, Regem ad defendendum jura regni ſui, vel ad puniendum rebelles. Sed hoc inſtinctu homo malus abutitur ſecundum malitiam cordis ſui.* Et ponit exemplum in Rege Aſſur, & Pharaone, quos Deus excitavit ad bonum, ipſi autem abuſi ſunt ad crudelitatem. *Secundo* (pergit Sanct. Doctor) *oportet conſiderare, quo fine Deus iſta partim faciat, partim permittat.* Cum enim Deus omnia operetur in creaturis ad manifeſtationem gloriæ ſuæ, permittit in creatura malum, illud ad gloriam ſuam ordinando; unde concludit: *Et in hoc eodem ſenſu poteſt exponi, ſi dicatur* poſui te, *ideſt inordinavi malitiam tuam ad gloriam meam: Deus enim malitiam ordinat, ſed non cauſat.*

XXVII. Hoc docuerat S. Auguſtinus, variis in locis oſtendens, mala fieri quidem contra voluntatem Dei; ſed ea permittere, ut de malis faciat bona. Ita in Enchirid. cap. 27. *Melius enim judicavit de malis bene facere, quam mala nulla eſſe, permittere.* Et cap. 100. *Propterea namque* magna opera Dei exquiſita in omnes voluntates ejus: *Ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem. Quia non fieret, ſi non ſineret: nec utique nolens ſinit, ſed volens: nec ſineret bonus fieri mala, niſi omnipotens & de malo facere poſſet bene.* Item lib. 5. oper. imperf. contra Julian. cap. 11. *Sic autem novit Deus, bene operari homines de ſubſtantia peccato vitiata, quemadmodum novit, bene operari de ipſis peccatis hominum, quorum ſunt vitia voluntaria. Videmus enim quanta bona operatus eſt de peccato fratrum, qui fratrem per invidentiam vendiderunt; & alia multa, quibus Sacræ Litteræ plenæ ſunt.* Vult ergo Deus permittere peccata, non vult peccata: ex ipſis tamen peccatis ab homine politis, bona multa operatur. His prænotatis, ad ſingula reſpondendum eſt.

XXVIII. Ad primum, de Semei, reſpondeo ex D. Thom. qu. 1. de Potentia art. 6. ad 4. *Dicitur Deus dupliciter præcipere. Uno modo loquendo ſpiritualiter, vel corporaliter per ſubſtantiam creatam; & ſic præcepit Abrahæ, & Prophetis. Alio modo inclinando; ſicut dicitur, præcepiſſe vermi, ut comederet hæderam, Jonæ primo. Et per hunc modum præcepit Semei, ut malediceret David, in quantum cor ejus inclinavit; & hoc ſecundum modum, qui infra dicetur.* Modum autem exponit ibi ad 6. nimirum: *Quod Deus non dicitur, inclinare homines in malum, immittendo malitiam, vel ad malitiam commovendo, ſed permittendo, & ordinando; ut videlicet, qui crudelitatem exercere conſentiunt, in illos exerceant, quos dignos Deus judicat.* Cum ergo Deus noſſet animum Semei paratum ad maledicendum David, permiſit ipſum pravam ſuam voluntatem exercere in ipſum: quia judicavit dignum, ut ſuorum peccatorum, ex tali improperio, ſentiret vindictam, & magis, magiſque humiliaretur. Eo modo, quo Venator, qui videns canem inhiantem lepori, ſolvit funem, quo detinebatur, dicitur canem immittere in leporem; cum tamen ſolum permittat cani, ut leporem aggrediatur.

XXXI. Ad ſecundum, dico primo: verbum illud *commovit* facere ſenſum, quod Deus indignatus contra peccata Iſrael, in ejus juſtam vindictam permiſerit, David incitari, & commoveri a Satan, ut numeraret populum. Quod enim non ipſe Deus incitaverit ad hoc Davidem, ſed ipſe Satan, permittente Deo, manifeſtum eſt ex lib. 1. Paralip. cap. 21. ver. 1. ubi præſens hiſtoria ſic refertur: *Conſurrexit autem Satan contra Iſrael, & concitavit David, ut numeraret Iſrael.* Unde.

Dico ſecundo: alium ſenſum eſſe, ut ly *furor Domini* non deſignet Deum, ſed Satan, qui divini furoris ad vindictam miniſter eſt. Ideoque laudato loco ex 2. *Reg.* non dicitur: Addidit Deus iraſci contra Iſrael, ſed *Addidit furor Domini.* Qui ſenſus concordat cum citatis verbis ex 1. Paralip. *Conſurrexit Satan contra Iſrael.* Qui proinde furor Domini, ſeu miniſter furoris Domini nuncupatur, eo modo, quo Iſaiæ 10. ver. 5. Aſſirii vocantur a Deo *Virga furoris mei.* Hanc expoſitionem refert, & probat Sanctus Hieronymus in *cap. 2. ad Epheſ.*

XXX. Ad tertium, ex 3. *Reg. 22. ver. 22.* Reſpondeo cum D. Thom. qu. 3. de Malo art. 1. ad 17. *Quod id, quod dicitur:* Egredere, & fac, *non eſt intelligendum per modum præcepti, ſed per modum permiſſionis; ſicut & quod dicitur ad Judam:* Quod facis, fac citius, *eo modo loquendi, quo permiſſio Dei dicitur ejus voluntas* (nimirum ſigni, non beneplaciti, ut docet *1. par. qu. 19. art. 12.*) eodem modo reſpondeo ad id, quod ſequitur ibi *ver. 23.* dedit ergo Deus ſpiritum mendacii in ore omnium Prophetarum, non infundendo mendacium, ſed permittendo, ut agerentur ſpiritu mendacii; & hoc in pœnam, quod Achab maluerit credere falſis Prophetis, quam Micheæ Prophetæ Domini. Similiter illud Ezech. 14. *ver. 9.* exponendum eſt, ut Deus deceperit, ideſt, ut deſeruerit, & ſuæ deceptioni reliquerit Prophetam illum; & hoc, ut populus ſciret, ejus deceptionem eſſe effectum iræ Dei. Un-

de S. Hieron. in dictum caput: *Hoc autem* (inquit) *totum dicitur, ne Pſeudoprophetarum fortitudini reputetur, quod decipitur populus, & magis vult audire mendacium, quam veritati aurem accommodare: ſed quod Dei ira ſit, ut perverſus populus, & incredulus magis Pſeudoprophetas audiat, quam Prophetas.* —— Ad illud etiam, quod affertur ex ſecunda ad Theſſalonic. 2. *Ideo mittet &c.* reſpondet Div. Thom. ibi *lect.* 3. Mittet, *ideſt permittet, illis venire operationem erroris.* Et hoc ideo, ideſt in pœnam quia noluerunt recipere charitatem veritatis, ideſt veritatem Evangelii. Unum enim peccatum pœna eſt alterius peccati præcedentis, ut ibi S. Thom. docet, & S. Auguſt. paſſim.

XXXI. Id vero, quod ex *Pſal.* 43. affertur, dupliciter exponi poteſt. Uno modo, ut negatio, quæ in priori parte exprimitur, continuetur in poſteriori, & fit ſenſus: *Non receſſit retro cor noſtrum, nec declinaſti ſemitas noſtras a via tua.* Et ita vertit Sanct. Hieron. ex Hebræo; & S. Chryſoſt. in eum Pſalmum ſcribens teſtatur, aliam lectionem ſic habere: *Non averſum eſt retro cor noſtrum, nec declinaverunt greſſus noſtri a via tua.* Alio modo, ut affirmative exponatur, nimirum: *& declinaſti &c. a via tua.* Et ſic per viam Dei intelligi poteſt miſericordia, juxta illud Pſal. 24. ver. 10. *Univerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas*; ut fiat ſenſus: Non receſſit retro cor noſtrum; & tamen declinaſti ſemitas noſtras a via miſericordiæ, & favoris tui, non eripiendo nos e tribulationibus, quæ nos affligunt. Unde mox ſequitur: *Quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos umbra mortis.* In hanc expoſitionem conſentit S. Auguſt. in præfatum Pſalmum.

XXXII. Ad verſiculum *Pſal.* 104. reſpondeo, Deum dici convertiſſe corda Ægyptiorum, ut odirent populum Iſrael, & dolum facerent &c. non quod in eorum cordibus inſeruerit malam voluntatem; neque quod eos ad odium, & dolum incitarit: ſed quia fœcunditatem dando Iſraelitis eoſque beneficiis cumulando, ea poſuit, ex quibus Ægyptii, jam voluntate ſua mali, occaſionem acceperunt odio habendi Iſraelitas: *Non itaque* (inquit Sanct. Auguſtinus in hunc Pſal.) *cor illorum malum faciendo; ſed populo ſuo benefaciendo cor illorum ſponte malum convertit ad odium. Non enim rectum cor pervertit; ſed ſponte perverſum ad odium populi, ubi eo malo bene uteretur, convertit: non illos malos faciendo: ſed iſtis bona, quibus mali faciliime poſſent invidere, largiendo.*

XXXIII. Locus autem ex *Pſalm.* 118. eſt oratio petentis, ut Deus per gratiam ſuam inclinet eum ad cuſtodiam mandatorum ſuorum; & non ſinat, eum labi in avaritiam: ſimili nimirum ſenſu, quo in oratione dominica dicimus: *Ne nos inducas*, ſeu induci ſinas, *in tentationem.* Unde S. Auguſt. Epiſt. 121. modo 130. ad Probam, cap. 11. *Cum dicimus* (inquit) *ne nos inferas in tentationem, nos admonemus, hoc petere; ne deſerti ejus adjutorio, alicui tentationi, vel conſentiamus decepti, vel cedamus afflicti.*

XXXIV. Verbis autem illis 2 *Reg.* 12. quibus Deus dicit David: *Suſcitabo ſuper te malum*; malum pœnæ intelligendum eſt: loquitur enim de peccato David puniendo. Cum addit: *Tollam uxores tuas, & dabo proximo tuo*; indicat, ſe Abſaloni permiſſurum, eique daturum poteſtatem (non quidem juris, ſed facti) tollendi uxores patris, eiſque abutendi. Quamvis enim Abſalon, audito conſilio Achitofel, promptiſſimam habuerit voluntatem hanc faciendi; illam tamen exequi non potuiſſet, niſi Deus permiſiſſet, & poteſtatem facti dediſſet. Quod additur: *Tu feciſti abſcondite, ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſrael*, ſenſum facit: Tu quidem ſecreto adulterium patraſti, & ſtudioſe egiſti, ut celaretur; ego autem faciam, ut filius tuus in publico tuis uxoribus abutatur: faciam vero, non ipſum ad facinus iſtud incitando, aut ipſi ad hoc cooperando; ſed tum permittendo, tum poteſtatem ei dando. Quare inſane Calvinus, ex eo quod Deus Abſalonis inceſtum opus ſuum eſſe, videatur pronunciare, infert, Deum fuiſſe illius ſceleris auctorem. In opere enim illo, quo Abſalon uxores patris ſui cognovit, duo ſunt inſpicienda: & mala voluntas Abſalonis agentis quod erat illicitum, & facinus, & pœna, nempe, infamia, ac triſtitia; quæ inde Davidi reſultabat. Primum Deus non fecit, neque illud facienti cooperatus eſt: ſecundum Deus fecit, & juſto judicio ſuo voluit: *A Deo* enim *non fit malum, quando fit de malo bonum*, ait Auguſt. *lib.* 5. *Oper. imperf. contra Julian. cap.* 12.

XXXV. Idem de Chriſti interfectoribus dicendum eſt. Eorum enim voluntas mala de Chriſti occiſione, Dei quidem permiſſu ſecuta eſt; non Dei voluntate patrata: bonum tamen, quod toti humano generi inde provenit, Dei conſilio, & voluntate decretum fuit: & hoc intendunt Petrus, & Diſcipuli in Act. Apoſt. Hinc S. Auguſt. in Enchirid. cap. 101. *Tantum* (inquit) *intereſt, quid, velle homini, quid Deo congruat, & ad quem finem ſuam quiſque referat voluntatem; ut aut probetur, aut improbetur. Nam Deus quaſdam voluntates ſuas, utique bonas, implet per malorum hominum voluntates malas; ſicut per Judæos malevolos, bona voluntate Patris, Chriſtus occiſus eſt: quod tantum bonum factum eſt, ut Apoſtolus Petrus, quando id fieri nolebat, Satanas ab ipſo, qui occidi venerat, diceretur.*

XXXVI. In hanc eamdem doctrinam conſpirat S. Thom. 3. *par. qu.* 47. *art.* 3. *ad* 3. dicens: *Eadem actio diverſimode judicatur in bono, vel in malo, ſecundum quod ex diverſa radice procedit. Pater enim tradidit Chriſtum, & ipſe ſemetipſum ex charitate; & ideo laudantur. Judas autem tradidit ipſum ex cupiditate; Judæi autem ex invidia, Pilatus ex timore mundano, quo timuit Cæſarem: & ideo ipſi vituperantur.* Alia quoque intentione Satan a Deo mittitur; alia Satan Dei voluntatem exequitur; ut docet 1. *par. qu.* 114. *art.* 1. *ad* 1. his verbis: *Mali Angeli impugnantur homines dupliciter. Uno modo, inſtigando ad peccatum: & ſic non mittuntur a Deo ad impugnandum; ſed aliquando permittuntur ſecundum Dei juſta judicia. Aliquando autem impugnant homines puniendo: & ſic mittuntur a Deo. Sicut miſſus eſt ſpiritus mendax ad puniendum Achab Regem Iſrael, ut dicitur* 3. *Reg. ultimo. Pœna enim refertur in Deum, ſicut in primum actorem: & tamen mali Angeli ad puniendum miſſi alia intentione puniunt, quam mittuntur. Nam ipſi puniunt ex odio, vel invidia, mittuntur autem a Deo propter ejus juſtitiam.*

XXXVII. Objicitur ſecundo. Rom. 1. *ver.* 28. De quibuſdam dicitur: *Tradidit eos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ non conveniunt.* Et Auguſt. lib. de Grat. & lib. arb. *Deus* (inquit) *operatur in cordibus hominum, inclinando voluntates eorum in quodcumque, ſive in bonum, ſive in malum*: ſed facere, quæ non conveniunt, & inclinari ſecundum voluntatem ad malum, eſt peccatum; ergo &c.

Confirm. Qui excæcat mentem, ne videat divina, qui aggravat aures, ne ea audiat, qui obdurat cor, ne ad ea per affectum tendat, eſt cauſa inducens ad peccata ſequentia: ſed Deus excæcat, & aggravat; Iſaiæ 6. ver. 10. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava*; Rom. 11. ver. 8. *Dedit eis Deus ſpiritum compunctionis, oculos, ut non videant, aures ut non audiant*: Indurat etiam, Exodi 10. ver. 1. *& dixit Dominus ad Moyſen ingredere ad Pharaonem: ego enim induravi cor ejus* & ver. 20. *& induravit Dominus cor Pharaonis.* Item Rom. 9. ver. 15. *Cujus vult miſeretur, & quem vult, indurat.*

XXXVIII. Reſpondeo cum S. Thoma hac qu. 72. art. 1. ad 1. *Quod quantum ad verba Apoſtoli, ex ipſo textu patet ſolutio. Si enim Deus tradit aliquos in reprobum ſenſum, jam ergo reprobum ſenſum habent ad faciendum ea, quæ non conveniunt. Dicitur ergo tradere eos in reprobum ſenſum, in quantum non prohibet eos, quin ſuum ſenſum reprobum ſequantur; ſicut dicimur, exponere illos, quos non tuemur. Quod autem Auguſtinus dicit in lib. de Grat. & lib. arbit. Unde ſumpta eſt Gloſſa, quod* Deus inclinat voluntates hominum in bonum, & malum, *ſic intelligendum eſt: quod in bonum quidem directe inclinat voluntatem, in malum autem, in quantum non prohibet .... Et tamen hoc etiam contingit ex merito præcedentis peccati.* Idem docet *qu.* 3. *de Malo art.* 1. his verbis: *Deus dicitur, tradere aliquos in reprobum ſenſum, vel inclinare voluntates in malum; non quidem agendo, vel movendo, ſed potius deſerendo, vel non impediendo: ſicut ſi aliquis non daret manum cadenti, diceretur eſſe cauſa caſus illius. Hoc autem Deus ex juſto judicio facit, quod aliquibus auxilium non præſtat, ne cadant.*

XXXIX. Ad confirm. diſt. maj. Qui excæcat mentem &c. faciendo, ut animus humanus inhæreat malo, & avertatur a divino lumine, eſt cauſa &c. conc. maj. Qui excæcat &c. ſubtrahendo gratiam, eſt cauſa &c. neg. maj. & ſimiliter, diſt. min. neg. conſeq. *Excæcatio, & obduratio* (inquit S. Thom. hac qu. 79. art. 3.) *duo important. Quorum unum eſt motus animi humani inhærentis malo, & averſi a divino lumine; & quantum ad hoc Deus non eſt cauſa excæcationis, & obdurationis, ſicut non eſt cauſa peccati. Aliud autem eſt ſubtractio gratiæ, ex qua ſequitur, quod mens divinitus non illuminetur ad recte videndum, & cor hominis non emolliatur ad recte vivendum: & quantum ad hoc Deus eſt cauſa excæcationis, & obdurationis.* Deus enim eſt cauſa univerſalis illuminationis animarum, ſicut Sol eſt cauſa univerſalis illuminationis corporum: *Aliter tamen, & aliter. Nam Sol agit illuminando per neceſſitatem naturæ: Deus agit voluntarie per ordinem ſuæ ſapientiæ. Sol autem licet, quantum eſt de ſe, omnia corpora illuminet; ſi quod tamen impedimentum inveniat in aliquo corpore, relinquit illud tenebroſum; ſicut patet de domo, cujus feneſtræ ſunt clauſæ: ſed tamen illius obſcurationis nullo modo cauſa eſt Sol: non enim ſuo judicio agit, ut lumen interius non immittat: ſed cauſa ejus eſt ſolum ille qui claudit feneſtram. Deus autem proprio judicio lumen gratiæ non immittit illis, in quibus obſtaculum invenit. Unde cauſa ſubtractionis gratiæ eſt, non ſolum ille, qui ponit obſtaculum; ſed etiam Deus, qui ſuo judicio gratiam non apponit. Et per hunc modum Deus eſt cauſa excæcationis, & aggravationis aurium, & obdurationis cordis.* Hæc Sanct. Doctor. Quibus conſonat S. Auguſt. *Tract.* 53. *in Jo:* dicens: *Sic enim excæcat, ſic obdurat Deus deſerendo, & non adjuvando; quod occulto judicio facere poteſt, iniquo non poteſt.* Et *Epiſt.* 105. *modo* 194. *ad Siſtum cap.* 3. ait: *Nec obdurat Deus impertiendo malitiam: ſed non impertiendo miſericordiam.*

XL. In quo autem differant excæcatio, aggravatio, & obduratio, exponit S. Thom. citato loco, dicens: *Quæ quidem diſtinguuntur ſecundum effectus gratiæ, quæ perficit intellectum Dono ſapientiæ, & affectum emollit igne charitatis. Et quia ad cognitionem intellectus maxime deſerviunt duo ſenſus, ſcilicet, viſus, & auditus; quorum unus deſervit inventioni, ſcil. viſus, alius diſciplinæ, ſcilicet, auditus: ideo quantum ad viſum ponitur excæcatio, quantum ad auditum, aurium aggravatio; quantum ad affectum obduratio.* Propterea ille dicitur obcæcatus, qui ita a Deo deſeritur, ut non aperiat oculos ad divina: ille aggravatus, qui claudit ad ea aures; ille vero obduratus, qui per affectum ad ea non flectitur.

XLI. Porro licet omne peccatum etiam ex infirmitate, vel ignorantia arguat, ei, qui peccat, deeſſe gratiam ad evitandum peccatum; non tamen quicumque peccat, dicitur excæcatus, aut obduratus: ſed ille ſolus, cui denegatur ulterior gratia, & lumen in pœnam præcedentium peccatorum, vel etiam unius peccati; ut contigit Pharaoni, Sauli, Judæis &c. Unde S. Thom. hic *ad* 1. ut oſtendat, quod eſto homo per excæcationem, & indurationem fiat deterior, hujus tamen Deus non eſt cauſa, ait: *Quod cum excæcatio, & induratio ex parte ſubtractionis gratiæ, ſint quædam pœnæ; ex hac parte homo non fit deterior, ſed deterior factus per culpam, hæc incurrit, ſicut & cæteras pœnas.*

XLII. Objicitur tertio. Quidquid eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa effectus: ſed Deus eſt cauſa liberi arbitrii, quod eſt cauſa peccati; ergo Deus eſt cauſa peccati.

XLIII. Reſpondeo cum D. Thom. hac *q.* 79. *a.* 1. *ad* 3. diſt. min. Liberi arbitrii, ut ordinabilis ad Deum, conc. min. ut defectibilis ab ordine ad ipſum, nego min. *Effectus* (inquit Sanctus Doctor) *cauſæ mediæ procedens ab ea, ſecundum quod ſubditur ordini cauſæ primæ, reducitur etiam in cauſam primam: ſed ſi procedat a cauſa media, ſecundum quod exit ordinem cauſæ primæ, non reducitur in cauſam primam: ſicut ſi miniſter faciat aliquid contra mandatum Domini, hoc non reducitur in Dominum, ſicut in cauſam. Et ſimiliter peccatum, quod liberum arbitrium committit contra præceptum Dei, non reducitur in Deum, ſicut in cauſam.*

Simili modo reſpondet *q.* 3. *de Malo art.* 1. *ad* 4. dicens: *Effectus cauſati, in quantum eſt cauſatum, reducitur in cauſam. Si autem aliquid procedat a cauſato, ſecundum quod eſt cauſatum, hoc non oportet in cauſam reduci. Sicut motus tibiæ cauſatur a virtute motiva animalis, quæ tibiam movet; ſed obliquitas ambulationis non procedit a tibia, ſecundum quod eſt mota a virtute motiva, ſed ſecundum quod deficit a ſuſcipiendo influxum motivæ virtutis per ſuum defectum: & ideo claudicatio non cauſatur a virtute motiva. Sic ergo peccatum cauſatur a libero arbitrio, ſecundum quod deficit a Deo: unde non oportet, quod Deus ſit cauſa peccati, licet ſit cauſa liberi arbitrii.*

XLIV. Ex his infertur, nec potentiam peccandi, ut potentia peccandi eſt, eſſe a Deo, quemadmodum docet D. Thom. in 2. *diſt.* 44. *q.* 1. *art.* 1. Nam in potentia peccandi duo conſideranda ſunt. Unum eſt potentia, ſed facultas naturalis, quæ eſt principium actus, ſive boni, ſive mali: alterum eſt defectibilitas, ſeu potentia deficiendi ab ordine divino. Quoad prius, potentia peccandi eſt a Deo, cum illa potentia ſit liberum arbitrium; omnis enim poteſtas, ut poteſtas, a Deo eſt. Quoad poſterius, non eſt a Deo, ſed ex ipſius creaturæ imperfectione; quæ in quantum eſt ex nihilo, habet, ut poſſit deficere nedum in eſſe phyſico, ſed morali: ſicut enim, ex quo non eſt ſuum eſſe, poteſt deficere ab eſſe: ita ex eo, quod non eſt ſua regula, poteſt a regula deficere. Quare potentia peccandi potius eſt defectus potentiæ, quam potentia. Cum enim ut notat D. Thom. citatus, potentia voluntatis humanæ ſit per ſe ordinata ad bonum, quod poſſit deficere a bono in actu ſuo, non habet a cauſa dante illi naturam; ſed *oportet, quod cauſetur ex aliquo defectu in ipſa, per quem ab alio vinci poteſt, vel delectatione, vel ſuggeſtione, vel quocumque alio, ut ab eo, quod eſt naturale ſibi, ad id, quod eſt innaturale, trahatur.* Unde poſſe peccare, non eſt pars, nec eſſentia, ſed defectus potius libertatis.

XLV. Huic veritati patrocinatur Sanctus Auguſtinus: tum *lib.* 14. *de Civit. Dei cap.* 13. ubi ſic loquitur: *Ut natura ſit, ex eo habet, quod a Deo facta eſt: ut autem ab eo, a quo facta eſt, deficiat, ex hoc, quod de nihilo facta eſt.* Tum lib. 1. contra Jul. cap. 8. *Quapropter bonorum auctor Deus, dum auctor eſt naturarum: quarum ſpontaneus defectus a bono, non indicat, a quo factæ ſunt, ſed unde factæ ſunt. Et hoc non eſt aliquid, quoniam penitus nihil eſt; & ideo non poteſt auctorem habere, quod nihil eſt.* Et quæſt. 21. libri 83. quæſtionum: *Ille* (inquit) *ad quem non eſſe non pertinet, non eſt cauſa deficiendi.* Quibus conformiter B. Fulgentius *lib. de Fide ad Petrum cap.* 3. ita ſcribit: *Ideo naturæ a Deo factæ proficere poſſunt, quia eſſe cœperunt: ideo deficere, quia ex nihilo factæ ſunt; ad defectum eas ducit conditio originis, ad profectum vero prævenit operatio Creatoris.*

XLVI. Infertur quoque ex dictis; Deum multo minus cauſare poſſe, ſeu infundere ſe ſolo habitum vitioſum. Nam habitus vitioſus eſſentialiter eſt proxima inclinatio, & propenſio ad peccandum; ſicut habitus honeſtus eſt inclinatio ad recte operandum: ſed, teſte D. Thom. hac *quæſt.* 79. *art.* 1. repugnat, quod Deus inclinet voluntatem hominis ad peccandum, ergo &c. Et ſane: pejor enim eſt habitus vitioſus, quam ſit potentia peccandi formaliter ſumpta, ut docet D. Thom. hac 1. 2. *quæſt.* 71. *art.* 3. habitus enim medium locum tenet inter potentiam, & actum: unde habitus bonus, vel malus, ſicut in bonitate, & malitia cedit actui, ita præeminet potentiæ: ſed ut diximus, potentia peccandi formaliter ſumpta, ſecundum id, quod dicit de defectibilitate, ſeu flexibilitate ad malum, non eſt a Deo; ergo multo minus habitus vitioſus.

XLVII. Objicitur quarto. Omne malum opponitur bono: ſed non repugnat divinæ bonitati, quod ſit cauſa mali pœnæ; ergo nec repugnabit, quod ſit cauſa mali culpæ.

XLVIII. Reſpondeo cum D. Thom. hac quæſt. 79. art 1. ad 4. *Quod pœna opponitur bono ejus, qui punitur, qui privatur quocumque bono: ſed culpa opponitur bono ordinis, qui eſt in Deum; unde directe opponitur bonitati divinæ & propter hoc non eſt ſimilis ratio de culpa, & de pœna.* Et *q.* 3. *de Malo art.* 1. *ad* 3. addit: *Quod pœna oponitur cuidam particulari bono. Non eſt autem contra rationem ſummi boni auferre aliquod particulare bonum; cum particulare bonum auferatur per appoſitionem alterius boni, quod interdum eſt melius: ſicut forma aquæ aufertur per oppoſitionem formæ ignis. Et ſimiliter bonum naturæ particularis aufertur per pœnam per appoſitionem majoris boni, per hoc ſcilicet, quod Deus ordinem juſtitiæ in rebus ſtatuit: ſed malum culpæ eſt per averſionem a ſummo bono, a quo ſummum bonum avertere non poteſt. Unde Deus poteſt eſſe cauſa pœnæ, ſed non culpæ.*

XLIX. Eodem modo reſpondet Tertullianus *lib.* 2. *adv. Marcionem cap.* 14. Marcionem enim confundentem mala culpæ cum malis pœnæ, & utrorumque Deum eſſe auctorem, aſſerentem, ſic alloquitur: *Nos autem adhibita diſtinctione utriuſque formæ; ſeparatis malis delicti, & malis ſuplicii, malis culpæ, & malis pœnæ, ſuum cuique parti definimus auctorem, malorum quidem peccati, & culpæ Diabolum: malorum vero ſupplicii, & pœnæ Deum creatorem: ut illa pars malitiæ deputetur, iſta juſtitiæ mala, condentis judicia adverſus mala delicta. De his ergo Creator profitetur malis, quæ congruunt judici: quæ quidem illis mala ſunt, quibus rependuntur; cæterum ſuo nomine bona, quæ juſta, & bonorum defenſoria, & delictorum inimica; atque in hoc ordine Deo digna.* Et cap. 16. *Quid enim ſi medicum quidem dicas eſſe debere, ferramenta vero ejus accuſes, quod ſecent, & inurant, & amputent, & conſtrictent; quando ſine inſtrumento artis medicus eſſe non poſſit? Sed accuſa male ſecantem, importune amputantem, temere inurentem: atque ita ferramenta quoque ejus, ut mala miniſteria reprehende.* Ita Marcionem perſtringit Tertullianus, ut videret quam inepte Deum pœnarum inflictorem, Deum malum eſſe, contenderet.

L. Sed dices. Omnis pœna eſt a Deo: aliquod peccatum eſt pœna; ergo aliquod peccatum eſt a Deo.

Nego tamen conſeq. Cum varietur appellatio, ſiquidem illud peccatum, quod eſt pœna alterius, non eſt pœna, ſecundum quod eſt peccatum, ſed ſecundum aliquid aliud; nempe, propter ſubtractionem gratiæ, quæ poſſet impedire ulterius peccatum: *Unde cum ipſa ſubtractio gratiæ ſit quædam pœna, & a Deo; ſequitur, quod per accidens etiam peccatum, quod ex hoc ſequitur, pœna dicatur. Et hoc modo loquitur Apoſtolus Rom.* 1. *dicens*: Propter quod tradidit eos Deus in deſideria cordis eorum, *quæ ſunt animæ paſſiones: quia, ſcilicet; deſerti homines ab auxilio divinæ gratiæ, vincuntur a paſſionibus. Et hoc modo ſemper peccatum dicitur eſſe pœna præcedentis peccati. Alio modo ex parte ſubſtantiæ actus: qui afflictionem inducit; ſive ſit actus interior, ut patet in ipſa ira, & invidia; ſive actus exterior, ut patet cum aliqui gravi labore opprimuntur, & damno, ut expleant actum peccati; ſecundum illud Sap.* 5. Laſſati ſumus in via iniquitatis: *Tertio modo ex parte effectus; ut ſcilicet aliquod peccatum dicatur pœna reſpectu effectus conſequentis* (quando ſcilicet effectus gravis eſt, & moleſtus ſuo auctori: cujuſmodi ſunt remorſus conſcientiæ, infamia, paupertas, morbi, & alia, quæ ex peccato ſequuntur, & affligunt peccatorem) *Sed his duobus ultimis modis unum peccatum non ſolum eſt pœna præcedentis peccati, ſed etiam ſui.* (Ita S. Thom. hac 1. 2. quæſt. 87. art. 2.)

DUBIUM III.

An Deus concurrat cum Creatura ad Peccatum invitus, & nolens?

§. I.

Reſolutio negativa.

I. DIco. Deus non influit in malitiam peccati, influxu phyſico, determinatus a concurſu creaturæ. Eſt contra opinionem Societatis ſuperius relatam §. 1. Probatur primo. Nam hæc opinio ſupponit, Deum decreto indifferenti tam ad bonum, quam ad malum offerre voluntati creatæ ſuam omnipotentiam; cujus poteſtati relinquitur, eam determinare, ſive ad bonum, ſive ad malum: atqui hujuſmodi decreta indifferentia contraria ſunt doctrinæ Sanct. Thom. ejuſque Scholæ, ut oſtendimus ſuo loco, agentes de Voluntate Dei: & inſuper in caſu præſenti videntur ſuſpecta, ob propoſitiones ab Innocentio XI. damnatas 23. *Septembris* 1679. quarum prima erat: *Deus donat nobis omnipotentiam ſuam, ut ea utamur, ſicut aliquis donat alteri villam, vel librum &c.* Secunda *Deus ſubjicit nobis ſuam omnipotentiam*: ſed Deum præparare ſuam omnipotentiam, ut voluntas creata pro ſuo libito ipſam determinet ad partem, quam maluerit, ſcilicet, ad actum bonum, vel ad actum malum, eſt, Deum eam nobis donare, ut ea utamur: quia *uti* juxta Div. Thom. ſupra *q.* 16. *a.* 1. nil aliud eſt, quam applicare rem ad aliquid exercitium, ſeu operationem; ergo &c.

II. Scio, reſponderi a PP. Societatis, offerre, ſeu præparare ſuam omnipotentiam, non eſſe eam donare, vel ſubjicere voluntati creatæ, ſed ſolum ex ſua benignitate, & voluntate applicare ſuam omnipotentiam, ut a voluntate creata ad partem, quam maluerit, determinetur.

III. Sed omiſſo, quod prædictæ damnatæ propoſitiones aſſeruntur ab aliquibus ex Societate; ut videre eſt apud Ferre *Tom. I. II. in* 1. 2. prope finem: & noviſſime apud Aliaga *Tom. II. in* 1. 2. *Tract. de Cauſa Peccati dub.* 4. §. 3. *num.* 2. Quidquid, inquam, ſit de hoc, certum eſt, nulli umquam in mentem veniſſe, Deum abdicare a ſe dominium rei, ſuam omnipotentiam, nec illam proprie voluntati creatæ reddere ſubjectam; ſed ſolum voluntati creatæ dare dominium uſus, eamque ei ſubjicere quoad uſum, & applicationem, ut ſcilicet ea utatur in eam partem, quæ ſibi maluerit: eo modo, quo quis dat amico villam, & librum, ut eis utatur; eſto penes ſe retineat dominium villæ & libri; & tamen dominium uſus transfert, & quoad uſum ſubjicit ex ſua voluntate villam, & librum: ergo cum hic ſit ſenſus damnatarum propoſitionum,